



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Prima Scribendi Origine Et Vniversa Rei Literariæ
Antiqvitate**

Hugo, Hermann

Antverpiae, 1617

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71265](#)

S. III
A7.

Th. 6102.

L

*f III
17.*

DE PRIMA
SCRIBENDI
ORIGINE
ET UNIVERSA
REI LITERARIAE
ANTIQUITATE,

Ad Reuerendum Patrem
CAROLVM SCRIBANI
SOC. IESV PRÆPOS. PROVINC.

in Prouincia Flandro-Belgica,
Scribebat HERMANNVS HVGO
eiusdem Societatis.



Collegij Societatis IESV Paderbornae 1636.
ANTVERPIÆ,

Ex OFFICINA PLANTINIANA
Apud Balthasarem & Ioannem Moretos.

M. DC. XVII.

1
ribes vang
F



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

3

A D
R. P. CAROLVM
SCRIBANI
Præpositum Prouincialem
SOCIETATIS IESV
in Prouinciâ Flandro-Belgicâ.



VM Antuerpiæ po-
litiores literas do-
cerem, Reuerende
Pater, non semel
cùm exemplis tum
verbis me es adhortatus, uti sedu-
lò me in ea studia abderem, simûl-
que incumberem in scriptionem
argumenti alicuius, quod posteri-
tati aliquando commendari mere-
retur. Ego dicto audiens, circum-

A 2 spice-

spicere cœpi quam ad rem præcipue me darem, quando tot iam de re ferè qualibet extrusū essent libri, ne vel actum agerem, vel minus etiam agerem quām esset actum. Igitur cūm inter legendum, ut fieri amat, adnotarem frequenter, literarum scriptionisque, veluti per transennam, mentionem incidere; meminissimque nihil esse hucusque ēā de re accuratē absolutēque perscriptum: & verò etiam interiisse omnia, quæ plurima de Scriptura scripsisse Nigidium, scripsit Gellius: adieci scilicet animum ad hoc vnum, vt rem obscuram, nec paruam extraherem in lucem. Cœpi primū magno impetu excutere & vestigare multa quæ huc facere putabam: sed quod

quòd pleraque essent à Scriptori-
bus præterita , à paucis verò etiam
contacta, tantæ mihi vnde quaque
obiectæ sunt tenebræ , vt despera-
rem me esse exitum aliquem re-
perturum. Subinde tamen abie-
ctum animum collegi , & Fabij
Cunctatoris patientiâ rem tentan-
dam esse duxi, donec longâ mul-
taque lectione assequerer , quod
breui tempore aut paucorum li-
brorum volutatione videbam per-
fici non posse. Ergo inter studia a-
liásque exercitationes ludibundus
veluti conieci in chartas quasdam
liturarias quidquid de scriptione
aut literis veniret in manus ; & en-
res excreuit in librum , eo ferè in-
teruallo quo Antuerpię te Rectore
Poësin & Rhetoricā sum professus.

A 3 Non

Non nemo fortè existimabit tot
bonas horas à me malè esse collo-
catas in rem tam exilem & Gram-
maticam : at ego semper existi-
maui neminem ita esse iudicatu-
rum qui vel paucas libri huius pa-
gellas vel etiam titulum rectè æsti-
mabit. Non enim de literis tan-
tùm scribo (qui fuisset vnius alte-
riusve horæ labor) sed de iis omni-
bus quæ attinent ad totius *Litera-
ria rei Antiquitatem*; quæ non
Grammatica, sed Philologica est
tractatio; literæ verò minima sunt
huius libri pars: de quibus tamen
solis si scripsisse, defenderem me
Coruini Messallę exemplo, qui li-
brum totum de literâ S conscri-
psit; Passeratij, qui opusculum de
cognitione literarum; Probi, Ma-
gno-

gnonis, & à Porta, qui libros magnos de Notis; Trithemij, qui volumen de Polygraphiâ: Nicanoris, Diomedis, & viri amplissimi Erycij Puteani, qui libellos de Interpunctione; Manutij, aliorumque, qui de Orthographiâ. *Neque enim, vt Quintilianus ait lib 1 c. vii.*
obstant hæ disciplina per illas euntibus, sed circa illas hærentibus. Quamquam vt à ronchis illis & nasis omnino tutus sim, in sinum tuum, R_{de} Pater, coniicio hunc libellum meum. Ecquis enim mihi succensere audeat, paucula de Scriptione à me scripta esse ad SCRIBANVM?
 Hoc solo nomine vindicatus videor, etiamsi multis præterea nominibus hasce meas primitias debeo R^x V^x. Consule igitur æqui

A 4 boni,

boni, R^{de} Pater, hoc quantulum-
cumque affectus & obseruantia
pignus tuo instinctu cœptum &
affectum; diuque Prouinciæ tuæ
Flandro-Belgicæ, quam gerendam
administrandumque accepisti, vi-
ue incolumis. ita voueo. Bruxel-
læ, Kalendis Iunij, M.D.C.XVI.

R. V.

Seruus in Christo

Hermannus Hugo.

ERY-

ERYCI PVTEANI
IN
R.P. HERMANNI HVGONIS
doctissimum
DE ORIGINE LITTERARVM
Commentarium
C A R M E N.

H^VGO, delicium piæ Camænæ,
Nectar deliciumq; LITTERARVM,
Qui fontem, laticemque LITTERARVM
A primo liquidum recludis ævo:
Hoc tu nunc latice, atque fonte, magnum
Priscorum mare colligis Librorum,
Novorum mare colligis Librorum;
Et pulchri pretium obtines laboris,
Laboris pretium perenne nomen:
Fructum nos capimus tui laboris.
Namque scire datur tuo labore,
Quis doctos apices, notasque primus
Signavit, tacitâ loquens liturâ:

A 5 Primus

Primus quis calamos fudit tenellos,
 Et chartæ niveum inquinavit æquor,
 Chartæ virgineum inquinavit æquor:
 Quis lolligine scripsit, & nigella
 Sparsit semina, signa LITTERARVM.
 Atque scire datur tuo labore,
 Quis lignum, lapidesque, quis metalla,
 Docto quis graphio lutum exaravit:
 Quis ceram docuit loqui subactam
 Stili cuspidé, spongiamque mellis,
 Sed pressam, domitamque, mortuamque,
 Inclusam brevis alveo tabellæ,
 Verba sugere, mella LITTERARVM,
 Verba reddere, mella LITTERARVM.
 Demum scire datur tuo labore,
 Ut malvæ foliis libri remotis
 Inducti, Philyræque, codicesque,
 Membranæ tenues, schedæ, papyrus,
 Album, fasciculique, paginæque,
 Pugillar bipatens, tomi, cylindri,
 Et volumina vasta LITTERARVM.

His

His in omnibus, Erudite Scriptor,
 Tu Cadmum loqueris, sed ipse Cadmus:
 Phœnices loqueris, sed ipse Phœnix;
 Phœnix ipse, sed alter ille PHOENIX,
 Ales Assyrius, sibi superstes.
 Ac dum sic loqueris, stilumque doctum
 Versas, hoc agis Erudite Scriptor;
 Vnus ut videaris Eruditus:
 Dum jungis genus omne LITTERARVM,
 Vnus ut videare Litteratus.
 Crede, crede: erit hic Liber Librorum,
 Et lumen dabit hoc tibi Volumen.

D E
 L I T T E R A R V M
 N O M I N E .

Fecit LITTERVLIS LITVRA nomen:
 Sed nunc LITTERVLÆ carent LITVRA.

In

In doctissimum
 DE
 S C R I P T I O N I S
 L I T T E R A R V M Q .
 O R I G I N E
 Commentarium
 R. P. HERMANNI HVGNONIS
 E SOCIETATE IESV
 Bernardi Bauhusij eiusdem Societatis
 EPIGRAMMA.

PAVCA Philetao meditabar scribere metro,
 Versiculis claudis, impariliqz, pede;
 Poscebam PHOEBOM calamos, vnamque
 Sororum,
 Quae bifidum culmen, Musicaqz, antra colunt.
 Poscenti PHOEBOS calamos, Virgoqz negavit;
 Fregerat ille suos, fregerat illa suos.
 Ite mei Vates, dixit Deus, & Dea dixit,
 Ite, dabit calamos iam meus HVGO nouos:
 Ite, nouas meus HVGO dabit tabulasqz, notasqz,
 Ite, dabit ceras iam meus HVGO nouas:
 Ite

Ite , nouum meus Hvgo dabit graphiumque
 stilumque,
 Ite , & Litterulas iam dabit Hvgo nouas.
 Ille Hvgo , quo Gorgonei de fonte Caballi
 Plusq; è virgineo flumine nemo bibit:
 Ille Hvgo , quo purpurei de vulnere CHRISTI ,
 Plus MARIAE casto ex ubere nemo bibit:
 Ille pius , simul ille Hvgo doctissimus : ille ,
 Ars nulla , & nulla est cui peregrina schola ,
 Hippocrenisatarum grande decus Musarum ,
 Grande decus Sophiae , grande Oleaq; decus .
 Testis adest non grāde Liber densumq; volumen ,
 Sed qui vel parua est sarcina parua manus:
 Et tamen ex illo nemo non doctior ibit ,
 VARRO licet redeat , Panthoidesq; senex .
 Discere ut Indoctus queat hinc , dediscere
 Doctus :
 Is , male qua didicit ; hic , male qua docuit .

APPRO-

APPROBATIO SUPERIORVM.

CAROLVS SCRIBANI Præpositus Prouincialis Societatis I E S V per Flandro-Belgicam : Cùm opus De primâ scribendi origine, eiusque vniuersâ antiquitate, à P. Hermanno Hugone Societatis I E S V sacerdote conscriptum , designati eiusdem Societatis Patres legerint , probarintque ; potestate ab admodum R.P.N. Generali MVRIO VITELLESCO ad hoc mihi factâ, vt typis excudatur, permitto: in quorum fidem has litteras manu meâ subscriptas officij mei sigillo muniui. Antuerpiæ, xxvii. Iulij, M. DC. XVI.

Carolus Scribani.

APPROBATIO CENSORIS.

LIBRI hi de Origine scribendi , & totâ Literariæ rei antiquitate , R. P. Hermanni Hugonis è Societate I E S V industriâ & accuratâ disquisitione compositi , digni sunt , qui in Literatorum omnium manibus versentur. Datum Antuerpiæ, xxvii. Iulij, Anno M. D C. X VI.

*Egbertus Spitholdius Plebanus
Antuerpiensis.*

P R A E-

P R A E F A T I O ¹⁵
A D
L E C T O R E M ,
De admirabilitate vtilitateque
scribendi.

NDOS quosdam aeo nostro us-
que adeò demiratos fuisse scri-
bendi inuentionem, refert ex
Scriptoribus rerum Indicarum
Lælius noster Bisciola libro VI.
Subcisiu. cap. XII. ut audit o primūm Scripturæ
nomine accurrerent ad papyrus loquentem au-
diendam, ut ipsi arbitrabantur. Adeoq; narrat
Petrus Cieza Tom. II. Histor. Peruanae, c. XXXIV.
Americae incolas ab Hispanis subactos, cum
literarum usum vidissent primūm, putasse id
esse certissimum Diuinitatis argumentum, quod
chartis scriptis occulta vox inesse posset. Planè
sicut apud Athenæum lib. X. cap. XVII. Poëta
quidam scriptionem ita admirabundus descri-
bit, ut Epistolam vocet naturā feminam; Lite-
ras illius filias, mutas eas quidem, sed quæ ta-
men etiam loquantur absentibus; & à legente, si
velit, non audiantur, etiāsi intelligantur. Illud
verò longè est facetissimum, quod narratum sibi
à viro quodam Religioso, qui anno M.D.LXXII.

è Bra-

è Brasilia redierat, scribit noster Ludouicus Ri-
 cheome in libello quem inscripsit l'Adieu de
 l'Ame : Mancipium quoddam Peruanum ab
 Europæo Nobili, qui in Brasilia tum habitabat,
 ablegatum est ad familiarem heri sui, Nobilem
 item Europæum, cum fiscinulâ sicuum & literis.
 In viâ seruus hic hero suo scilicet monosyllabus,
 fructuum nouitate & dulcedine pelletus, bo-
 nam eorum partem abliguriuit, literarum sua-
 rum securus. Nobilis literis acceptis, hominem
 verbis accipere ; ille admirari, ecquî id sciret,
 & verò etiam abiurare factum. Nobilis contrà
 adferre testes literas ; alter contrà testari, lite-
 ras mentiri, & esse intestabiles. Ergo manci-
 pium cum indicibus literis remittitur ad herum
 suum. Herus dissimulat factum. Paucis post die-
 bus serum remittit cum sicubus & literis, nu-
 mero adscripto. Hic ratus sibi abunde cantum
 ab indicio fore, literas sub saxum abdit in quo
 sessum ibat : &, iam literæ, inquietabat, etiam si
 Argi aut Lyncei sitis, non videbitis delicias
 meas. Cum hoc dicto exinanit fiscinam, & totum
 sibi de sicubus instruit epulum, relictis paucu-
 lis. Quod supererat, cum literis defert ad Nobi-
 lem : ille numerum in literis quidem integrum,
 at in fiscinâ dimidiatum tantum reperit. Tum
 denuò adoriri serum, manus ambas excutere
 & marsupium, literarum adferre testimonium
 de numero sicuum: contrà seruus purgare se, &
 saccu-

sacculorum ostendere inanias, literarum fidem eleuare, quas certum sciret, nihil vel per rimas potuisse arbitrari, quando eas in saxa abdiderat: neq; antè doceri potuit illiteratum mancipium, quid possent literæ, quam ab hero suo tergum eius totum conscriberetur stylis ulmeis.

Ridenda quidem opinione, at certè tamen non abs re in rudibus illis incultisq; animis excitatae; quando & Hebraei, scriptionis admiratione capti, artem Scriptoriam appellarūт ריקְרָא דיקדוק, hoc est subtile inuentum, ut obseruat Pet. Gregor. lib. 16. Artis mirabil. cap. II. & gentes plurime aliae (rare non potuisse ab homine aliquo tam admirandum artificium excogitari) Deo id assignarint. Ita enim Mercurium literarum auctorem apud Aegyptios, facit Plutarchus lib. IX. Coniuial. quest. Saturnum apud Latinos pro earum inuentore habitum scribit D. Cyprianus Martyr Tractatu 1V. De idolorum vanitate. Parcis id tribuit Hyginus lib. De fab. cap. CCLXXVII. Et nos ipsi si scriptionis admirandam vim aestimemus, nescio an quid aliud maiori admiratione dignum facile in creatis rebus simus inuenturi.

Quid enim magis mirum, quam tam pauculis literis, quæ omnes omnino sunt viginti tres, tot tam varia in omnibus linguis nomina constare, quæ sibi singula sunt dissimillima? Esse autem vocabula adhuc fere infinita, nōdum exco-

B

gitata

18 PRÆFATIO AD LECTOREM.

gitata vel audita quæ quilibet potest sibi fabricare. Illud autem facit hanc rem ferè incredibilem, nisi oculis ipsis usurparemus, tot & facta & ficta esse vocabula, tantum ex consonantibus vocalium interiectu seiunctis; quæ si pronuntiari possent ex solis consonantibus facta, sicut possunt scribi, DEVS bone! quanta, quam incredibilis nouorum verborum vis indies conflari posset! Vna hæc res est quam inter naturæ arcana præcipue demirantur Clavius noster & Richomus, & olim admiratus est Tullius Tusculanæ i. sic exclamans: Quis sonos vocis, qui infiniti videbantur, paucis literarum notis terminauit?

Iam verò illud etiam quam mirum, literis visis & lectis nos mentem capere absentium quantocumque temporum & locorum interuallo? Hac namque vnâ in re literæ superant quidquid signorum esse potest aut excogitari. Voces enim quæ mentem alioqui aperiunt maximè, non tamen nisi breuissimo tempore existunt, nec ad absentes longè pertingunt: neque ferè pronuntiari possunt, nisi ab adstante audiantur, quem sèpè nollemus audire. Imagines item, quæ coloribus ferè vitam rerum ipsam nobis oculos ponunt, non tamen interiora nobis indicare valent: imò absque literis esset, nec sciremus ferè qui iij essent quos nobis imagines proponunt: unde & nummorum imagines literis fuere

fuere circumscriptæ; ut eæ nempe posteritati id significarent, quod imagines proloqui non posse. Magna sanè literarum vis; ut ferè miseratione digni sint Cabalistæ, qui ob hasceres, ut scribit Franciscus Venetus, maiora etiam mysteria inesse literis putarent, dicerentq; iis contineri XXXII. semitas quibus Deus creauit mundum. quod fabulatur Rabbi Abraham libro Zepher Ietzira, hoc est, de Creatione. Numquam tamen condonauerim Marco & Colbaraso hereticis, qui teste Tertulliano lib. De præscript. docebant non posse veniri ad veritatis cognitionem nisi per vim literarum Alphabeti Græci: quod Christus ipse vocasset se Alpha & Omega. Digna Alphabetariorum ferulis capitali aut literariis nominibus qualia fecit Martialis: Alpha penulatorum & Beta togatorum.

Sed ut de admirabilitate utilitatéque scriptoris semel omnia dicam, non alio utar argumento quam testimoniis sapientum.

Ac primùm inter Gracos D. Basilius ita in illius rei laudes excurrit, Epist. LV. ad Ambrosium: Magna, inquit, semper quidem & multa sunt Domini nostri dona, &c. vnum verò quod inter maxima reputari potest, hoc est, quod quam longissimè propter locorum distantiam seiunctis per literarum alloquium mutuò coalescere dedit. Largitus est autem

B 2 dupli-

20 PRÆFATIO AD LECTOREM.

duplicem cognoscendi modum, vnum per præsentem conuictum & congressum, alterum per consuetudinem literariam.

Theodoreetus quoque Cyrensis Orat. iv. De Prouidentiâ non absimiliter est locutus: Cum absentibus, inquit, versamur, & qui longissimè à nobis distant: & cùm lingua taceat præcipuum sermonis instrumentum, eius loco inseruit manus calamo arrepto; quod agendum nobis cum amico, inscribit chartæ; & sermonis fit vehiculum non iam lingua, sed manus.

Diodorus Siculus verò libro XII. Bibliothecæ ita copiosè differit de laudibus scriptionis, agens de legibus Charondæ: Cui tanta ingenij facultas suppetit, ut dignis laudibus literarum disciplinam institutionemque se prosequi posse confidat? quibus solis vitâ defuncti viuentibus commemorantur: tum quos longissima procul terrarum interualla separatos tenent, hi literarum sese mutuis velut inter-nuntiis salutant, visunt, cum absentibus amicis tamquam præsenti consuetudine, mutuis colloquiis perfruuntur: tum ad bella, siue inter gentes quascumque, seu inter Reges sedanda, quid idoneum, quid magis accommodatum literarum munere possit excogitari? Fœderibus commendandis, pactis, conuentis, promissis, testes primi accersuntur, cete-

ceteraque omnia quibus seruandis summâ opus est fide, ipsis tutò commendantur; illæ commendata quæcumq; excipientes, æternâ integritate & inconcussâ fide custodiunt. Postremò sapientissimorum virorum sanctissimas sententias, oracula Deûm, Philosophorum inuenta, disciplinarum deniq; omnium præcepta ac monumenta humanarum diuinarumque rerum, solæ literarum ædes reposta conseruant, atque à vetustatis & temporis voracitate defensa veluti quadam diuinâ vi tuendo posteris ex ordine deinceps per succendentia sæcula demum æternitati commendant.

At inter Latinos Quinctilianus lib. I. cap. VII. sub finem: Hic vsus est literarum, ait, vt custodiant voces, & velut depositum reddant legentibus, itaque id exprimere debent quod dicturi sumus.

Plinius libro XI. I. cap. XI. Huius vnius rei vsu scimus maximè constare humanitatem vitę, memoriam, ac hominum immortalitatem.

Tertullianus lib. De corona militis: Literas necessarias confitebor & commercij rebus, & nostris erga Deum studiis.

Cassiodorus libro X. I. Variarum: Scripturâ humanorum actuum seruatur fidele testimonium.

22 PRÆFATIO AD LECTOREM.

Petrus Gregorius Tolosan. lib. xv i. De Repub. cap. ii. Diuinum miraculum certè, ut ex xx i v. notis, & interdum apud aliquas nationes paucioribus, infinita vocabula, mentes diuersæ, contrariæ, actus omnium hominum & ipsæ cogitationes possint efficaciùs & perfectiis quam ipsâ picturâ representari: fiuntque scripturæ ad perpetuam rei memoriam; conseruat enim scriptura quæ hominis memoria non potest complecti.

Cælius Rhodiginus lib. i v. cap. iii i. Quid illa scribendi maiestas, quæ tantarum rerum scientiam nobis comparat, vetustatem propagat, nil sinit interire, & quod omnia conterit, tempus cogitur nostris manibus succumbere? Quid hoc magnificentius? quid æquè mirandum? id esse homini datum, in quod ne mortis quidem auida rapacitas ius nullum habeat?

Guilielmus Postellus De literis Phœnicum Præfatione ad Carolum Cardinalem Lotharing. Literis tamquam rei immortalitati proximæ hoc debemus, quod consulere aliis possumus, ceterisque tam prudentiæ quam sapientiæ munieribus uti & posteritati prospicere.

Denique omnium argutissimè E R Y C I V S P V T E A N V S (ut ingeniosa semper venustâ que est eius omnis oratio) Oratione xiii. De Palestrâ Bonæ mentis, commendat scriptionis por-

portentum: Sed quos limites solertiae humani patitur ingenij? Postquam primum siue naturæ siue industriæ miraculum euiluit, loqui; tentauit quisque etiam sine voce loqui. Linguæ orisque vices ad manum translatæ sunt, & sermonis picturam niueum papyri æquor exceptit. Parum erat, indicium animi ministerio formare vocis, nisi & absentes posterique audirent. Prorsus imperfectum linguæ ingenium mortales censuerunt, nisi & calami usus accederet. Quàm verò id arduum, loqui, etiam cùm non loqueris; imò quàm laboriosum, nisi longâ exercitatione scriptionis ager subactus sit, is iudicet, qui æternitatis agere negotium consuevit. Stilus profectò nisi manum exarantis quotidie lassauerit, tabellamque literarum impleuerit fulcis, enitescere non potest. Scribendum est, vt scribas: & iugi exercitatione opus, vt fructum ingenij colligas. Ab agro nemo exspectat semina, sed exigit: minimum est, quòd seris. Sic arborem plantare, satis non est: rigare debes, putare debes, & pertinaci cultu, quidquid speras, vrgere.

Verissimè omnia, neque quidquam supra iustum laudem.

Vnum tamen alterumque video mihi contra scripturæ utilitatem opponi posse. In primis, literarum ferè tot posse mala existere quot lingue,

guæ, quam Iacobus appellat vniuersitatem ini-
quitatis, cap. 111. eaq; re Thamum Aegypti
Regem noluisse vt Theutus literariam artem in-
ueheret vñā cum Geometriâ, Arithmeticâ &
Astrologiâ, quemadmodum refert Cælius li-
bro XXII. cap. XV. ex Platone. Imò gentes
quasdā, vt narrat Sabellicus Enneadum Tom. I.
penitus scriptionis usu abstinuisse. Et literas à
Licinio Imperatore vocatas esse virus, & pu-
blicam pestem, vt de eo prodidit S. Aurelius
Victor. Denique videri etiam memoriae allat-
tum esse ingens desidiae periculum ansamque
otiandi, quando literis chartisque committi-
mus quæ memoriae eramus mandaturi; vt non
iniuriâ admonuerit Plato in Phædro: Literas
debere esse non memoriar, sed admonitionis medicamina.

*Ad hæc omnia ita respondebo, ut prius de
singulis dicam quid sit opinandum. Fateor igit-
tur, posse literarum maxima esse damna & in-
commoda, si quis iis abutatur; adeoq; id esse no-
bis à maioribus argutè indicatum fabellâ illâ
Segetis Cadmeæ, è quâ effloruerunt subito acies
duæ gladiis hastisq; armatae, quæ mutuis sese
vulneribus confecere. Cadmus enim cùm exi-
stimus fuerit literarum inuentor, & sexdecim
primum elementa tradidisse Græcis; hinc iacta-
tus est vulgo seminasse dentes serpentium, qui
sexdecim tantum habent omnino dentes; ex
quibus*

quibus natæ tot pugnæ , quot modo ardere non inter doctos, verum etiam inter Principes vide-
mus frequenter, propter literas aut libellos. Sed
quid? eōne dicemus exterminandas esse ex or-
be literas tot malorum & pugnarum causas?
Non profectò m:gis quām exsecandas homini-
bus linguas ob maledicentiam. Vites ebrieta-
tem attulere, non tamen excindenda, sed aqua-
iis propriis admonenda fuit, inquiebat ille; id
quod ego lubens Thamo Regi & Licinio Impe-
ratori Barbaris illis μυστηρια τις respondero,
in causâ literarum.

Lascium aliquod scriptum est? agatur La-
cedemonum lege , qui Archilochi libros propter
obscenitatem condemnarunt. Hæreticum scri-
ptum est? agatur legibus Valentiniani & Va-
lentis de comburendis libris hæreticorum: aga-
tur legibus Pontificum & Conciliorum, quibus
vetitum est sine Censurâ libros excudere; & ma-
lo facilis medicina , neque amplius erunt literæ
virus aut publica pestis. Atque ita literarum pa-
trocinium egregiè suscepit Bibliander lib. De
ratione communi ling. cap. De stylo & pennâ:
An non stylus acuminatus , inquit , pugionis
more menti suggerit , prouidendum esse ne
quis innocens appetatur stylo , ne stringatur
neu infigatur bonis ciuibus , sed adhibetur
vt gladius auctoritati militis , qui ex imperio
Ducis in hostes stringitur ad tuendam Rem-

B 5 publi-

26 PRÆFATIO AD LECTOREM.

publicam? Proferatur igitur stylus, stringatur in perditos homines, & ad defensionem bonorum, &c. Neque verò Plato (qui, uti & Pythagoras & Cicero, literarum originem ad cælestem naturam retulit) scriptionis usum contempsit, postquam tam præclaros posteritati scriptos libros reliquit: illud tantum voluit, ne memoriam facile segnescere sineremus, præsidio otiosarum chartarum; ne doctiores nos esse censeremus à maiori librorum copiâ, quam librorum rerumque in iis scriptarum scientiâ & memoria.

Certum enim est, nullius omnino tantam esse memoriae amplitudinem, qui omnia ita possit tenere ut scripto complecti. Et ut tantam quis facultatem haberet, aliis tamen iisq[ue] quamplurimis utilitatibus hominum inseruit scriptura, quibus facile tantillum labefactanda memoriae discrimen possit compensari. Quænam enim sine literis essent significandorum secretorum prædia seu bello seu pace? Quæ commercia exterritorum, aut amicorum absentium consuetudo? Quænam essent mercimoniorum commeationes? quæ urbium, prouinciarum, regnorum societates? Quæ denique præteriorum temporum certa memoria? quæ spes nominis ad posteros propagandi per impressa vestigia virtutis?

Vixere fortes ante Agamemnona

Multi.



Multi. sed omnes illacrymabiles
 Vrgentur, ignotique longâ
 Nōte, carent quia Vate sacro.
 Paulùm sepultæ distat inertiae
 Celata virtus. —
*Illud, illud, unius scriptionis beneficio polliceri
 potuit Flaccus: — non ego te meis
 Chartis inornatum sileri,
 Tótve tuos patiar labores
 Impunè, Lolli, carpere liuidas
 Obliuiones.*

*Scriptio ergo illud debemus (quo uno Deum
 proximè imitamur) immortalitatem.*

Sed dicet aliquis; hoc tamen esse insigne scri-
 ptionis vitium, quod, quæ semel scripseris, si
 pœniteat, ea abs te scripta esse negare non potes.
 & eam ob rem M. Antonium Oratorem nul-
 lam umquam orationem suam literis commen-
 dasse, ut si quid pœnitendum dixisset, id dixisse
 se posset facile inficiari. At ego contrà dico il-
 lud unum maximum esse scriptionis ornamen-
 tum ac bonum, quod si quæ dicere vis, scribas,
 non facile ea dicturus es quorum pœniteat; eaq;
 gratiâ Augustum Cæsarem, ut de eo scribit Sue-
 tonius cap. LXXXIV. neque in Senatu, neque
 apud populum, neque apud milites locutum
 esse umquam, nisi meditatâ & compositâ
 oratione: sermones quoque cum singulis, at-
 que etiam cum Liuiâ suâ grauiores non nisi
 in

28 PRÆFATIO AD LECTOREM.

in scriptis & è libello habuisse. *Quo more legatos ferè ac iudices loqui solitos, ne exerrarent, scribunt Liuius, Tertullianus, & Cicero.*

*Liuius lib. III. Decad. III. de Fabio Pictore.
Tertullianus Apologet. c. II. Cicero Philipp. X.
aliisque complures, quos laudat Ianus Gruterus
in Notis ad Apocolocynth. Senecæ. Ostendunt
igitur hæc omnia, nihil esse de summâ scribendi
utilitate admirabilitatéque ambigendum.*



DE

DE PRIMA
SCRIBENDI
ORIGINE
ET UNIVERSA
REI LITERARIAE
ANTIQUITATE.

CAPUT I.

Quid scribere? unde dictum? variae item eiusdem vocabuli significaciones; & voces nonnullæ contrarium significantes.

SCRIBERE, est vocem aut vocis partes ob oculos ponere per literas. ita ferè Goropius Becanus libro 3. Hieroglyphicōn. Etymologia vocis SCRIBO unde fluxerit, incertum. Aut nomen est primigenium (ut sunt in quaque lingua plurima) aut fortè à Græcorum γράφει dicit familiam; non enim abhorret omnino affinitas literarum, ut de γράφει fiat Scribo. Certè neque mirum esset, neque etiam inusitatum, mutari γ in sc, α in i, ο in b; quo facto fecisti de γράφει Scribo. Ita enim potestate conueniunt hæ litteræ ut facillimus sit earum traiectus: nam Latini olim

30 DE PRIMA SCRIBENDI GRIG.

olim non habuerunt G, vñq; ad Carbilij tempora, auctore Plutarcho; eius verò loco vtebātur C, vnde dicebāt Secobrica, Cneius & Caius, pro Segobriga, Gneius & Gaius. Ab A item in I, frequen-
tissimus transitus: vt patet in omnibus compositis
verborum Taceo & Iacio. Similiter φ Græcum, in
B, mutant semper Macedones, vt scribit in Lexi-
co suo Græco Arias Montanus: & Græcum ἡμίων,
Latini scribunt Ambo. His ita transumptis literis, de χάραφη habebis cribo; si S adieceris ad ve-
hementiam, Scribo. Iam verò Græcorum χάραφη,
Ioannes Auenarius Germanus in Lexico suo He-
bræo Wittembergæ edito deriuat ab Hebræo
chataf, mutato ח in ק vt sit קָרְבָּ charaf, vnde nul-
lo negotio confeceris χάραφη. Igitur sic originem
suam Scribo ducet à χάραφη; & rursum χάραפַּ à
charaf. denique קָרְבָּ à קְתֻבָּ chataf, quod signifi-
cat Hebraicè scribo. quem Auenarij locum in-
dicari mihi curauit R. Pater Cornelius à Lapide,
meus nuper in sacræ Scripturæ prælectionibus
Louanij Magister, vir Hebræarum rerum admo-
dum peritus, & totius Scripturæ prodituriis breui
Commentariis futurus immortalis. Non affirmo
tamen hanc originem; sed pronuntio, Non lique-
re: magis verò adducor vt credam, quàm cum
Goropio faciam, qui nimis argutè eius vocis na-
tales arcessit à Cymbris.

קְתֻבָּ Græcorum, Scribo Latinorum, imò & Hebreworum, inquit lib. 11. Hieroglyph. sub finem,
natales suos Cymbrico nostro sermoni acceptos ferre de-
bent. Grab enim Cymbris omnem fossam significat. Voci
Grab ordine literarum & significatione contrarium est
Barg, quod montem notat. Nos iam Graf pro Grab dici-
mus,



mus, mutato *B* in *F*. Ab hoc posteriore Graf, quod significat fodio, Græci retinuerunt γεάφω, mutato *F* in *Φ*, vt vis literæ postulabat, vnde grammata pro literis, &c. Iam Latino-rum Scribo mancuit à Germanorum Scrib, quod Belge dicunt *Scrif*; cuius verbi ratio petenda est à *Scrab*, & huius rursus à *Crab*, quod idem est ac *frico*, &c. Qui vero tantā vifificat, vt ductus sui signū impressum relinquat, is *Scrabben* dicitur, sibilo vehementiam addente. Hinc denique venit *Scrib Germanicum*, & *Scref Belgicum* vocali longâ quod lineam designat. Hebraorum autem קתב chataf quo scribere designant, longius ab origine recessit, &c. קתב enim à Boeck-teken (quod est librum signare seu scribere) deriuari non dubito, solo *N* reiecto, & verbo præpostorè pronuntiato.

Ingeniosa quidem Goropij diuinatio, sed quam plures, scio, ridebunt quam veram esse credent. Nos potius existimemus vocem esse de Aborigi-num genere, quando apud nullam gentem certa exstant eius familiæ vestigia; vel certè, quod vero videtur esse proximum, à γεάφω & קתב chataf deducamus. Sed hoc iam agamus, quibus præterea rebus significandis sit imposita vox *Scribo:ne* qui fortè sæpè aliàs legerint, multa solita esse scribi, sed non tamen literis scribi, existiment declinatio-ne laboris aut obscuritatis, præcipua quæque scriptio-nis mysteria à me esse præterita, qui persequi omnia pro libri huius instituto debebam.

Igitur, *fata scribere & fata scribunda aduocare*, est de recens nati infantis felicitate benè ominari; id quod fiebat die Lustrico seu Nominalium, vt Tertullianus loquitur. vide Scalig. ad illa Ausonij verba: *Dictasti fatis verba notanda meis.* lib. II. Obseruat. cap. XXII.

Dicam

32 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

Dicam scribere, est nomen alicuius pro instituen-
dâ accusatione ad Iudicem deferre. Cic. Verr. i. v.

Seruo libertatem scribere, est dare. Quintil. decla-
mat. 380. & alibi Vlpianus

Tutorem scribere, est constituere. Cic. pro Client.

Scribere pro pingere apud Plin. lib. xxxv. cap. x.

Scripsit Apollinem, &c.

Scribere digitis, est nutibus loqui. Ouidius:

— in digitis litera nulla fuit.

Ennius de quadam impudicâ: *alii dat digito literas*:
quod Salomon dixit Proverb. vi. *Annuit oculo, te-
rit pede, digito loquitur.*

Scribere pro arare apud Ennodium in Paneg.

Cum benè molitos incurui dente ligonis

Scribit agros. —

Alibi: *Nisi edomitam terram ter quaterq; agricultæ ligonibus scriferint.* Item Sidonius Apollin. carm. xi.
ver. 412. — in descriptosq; per agros

Frangat odor. —

Scripturarius ager, pro quo depascendo, Scriptu-
ra, hoc est, certum vectigal soluitur publicano.

Conscribere est colligere seu adlegere; hinc Pa-
tres conscripti. est & vibicibus verberum notare:
Plautus Pseudolo: *Stylis me totum usque ulmeis con-
scribito.*

Subscribere est post accusatorem secundo aut ter-
tio loco dicere contra reum: vnde subscriptores. vi-
de Budæum Annot poster. in Pandectas, & Sigan.
de Iudic. lib. 11. cap. x.

Præscribere, longâ annorum consuetudine ius
acquirere; apud Iureconsultos.

Hæc pauca, sed ferè præcipua scribendi voca-
bula sufficerit explicasse; quæ alienæ significatio-
nis

ET REI LITERARIÆ ANTIQVIT. 33

nis quadam veluti præscriptione irrepserant in ius aliorum verborum: sed & ab aliis vocabulis verbum ipsum Scribo, veluti talionis lege inuicem fundo suo subinde depulsum est non inscitâ Metaphoræ tralatione. Ita Pingere pro Scribere posuit Martial. lib. ix. Epig. xiv.

Nomen Acidalia meruit quod arundine pingi.

Arare & exarare. Isid. ex Atta Satyr.

Mucronéque aremus osseos.

in ceratâ nempe tabellâ. Ouid. iii. de Ponto:

Ad fratrem scriptas exarat illa notas.

Effodere. Petron. Satyr. Verba atroci stylo effoderent.

Sulcare. Ennod.

*Otia Niliacis non passus carmina biblis
Sulcaui.*

Illudere. Horatius lib. i. Sat. iv.

— Si quid datur otio

Illudo chartis.

Illinere. Idem ibidem:

Et quodcumque seniel chartis illeuerit. —

Ducere. Ouid. i. Trist. Eleg. x.

— tamen ipse trementi

Carmen ducebam qualiacumque manu.

*Lineare. Marcianus Capella lib. iii. Literarum
formas lineare.*

Iam contrariū quæ voces significauerint, videntur est; nā & eæ ad scribendi argumentū pertinent.

Liturare apud Sidonium est epist. ix. lib. viii.

Liturâ coercere apud Flaccum epist. ad Pisones:

— Carmen reprehendite, quod non

Multa dies & multa litura coercuit.

Vnde vrbanissimus ille iocus de liturâ in Verrem Actione i. Videlis extremam partem nominis; cau-

C dam

d: m illam Verris, tamquā in luto demersam esse in liturā?

In spongiam incumbere. De suā Aiace, deletā scilicet, dixit Augustus Cæsar apud Suetonium capite lxxxv. Scribentibus enim, ad castiganda scripta, semper spongia erat ad manum; quam totam atramento imbuebant, ut ita literas liturā nigrā inducerent: quod Ausonius expressit carmine ad Theonem:

Aut cunctis pariter versibus oblinat

Fuluam Lacticolor spongia sepiam.

Vnde est illud Martialis Epigr. x. lib. iv.

— instructum comitetur pumice librum

Spongia; muneribus conuenit illa meis.

Non possunt multæ nostros, Faustine, literæ

Emendare iocos; una litura potest.

E quibus locis apparet, talem fuisse spongię vsum, non ita multis obseruatum. Alioqui spongiā solā sine atramento deleri poterant literæ ē pugillariis & gypso, ut hodieque facimus adspersā saliuā; de quo ita Varro:

Sin displicebit tam tibi latum mare,

Tantum parato spongiam deletilem.

Adnotauit autem Cuiacius, ab optimis quibusque scriptoribus pro delere dictum esse spongiā effingere. ita Cicero pro Sestio: *Spongia sanguinem effingi.* Catō: *Fiscinas spongia effingat.* Apuleius 1. *Vulnus spongia effingens.* Linius lib. xxxix. *In domo spongiis effungi solent.* Hæc ille lib. xiiii. Obseru. cap. xiiii.

Delere. Cicero pro Cluent. *Digitō legata deleuit.* ē cerā vel ē chartā, opinor, deletitiā, qualis est flava illa nostrorum pugillarium; nam digito alioqui deleri nequissent. Spongiā enim deletili (ut Varro eam vocat) sulci cerei obduci non possunt; sed tantum literæ vel cretā, vel atramento, vel carbonne,

ET REI LITERARIAE ANTIQVIT. 35

ne, vel rubricā, aut etiam stylo in chartā deletitiā
ductæ; vt patet ex illo Augusti responso, dicentis,
suam Aiacem incubuisse in Spongiam, hoc est de-
letili spongiā deletam.

Stylum vertere. Horat. Sat. x. lib. 1.

*Sepè stylum vertas, iterum quæ digna legi sint
Scripturus.* —

Cicero 11. Verrinā: *Verit stylum in tabulis suis.* Di-
uus Hieroymus epist. ad Domnionem: *Stultus ego
qui meliorem stylipartem eam legerim quæ deleret, quam
quæ scriberet.*

Abolere peremptoriis rubricis. Sidonius Apollina-
ris libro VIII.

Cancellare. Transuersariis lineis sicut cancellis
inducere, inquit Nebrisensis. Vnde fortè Can-
cellarius dictus, quod responsa & rescripta Prin-
cipium male scripta cancellet.

Inducere. Cicero lib. I. ad Att. epist. xv. lib. xi I.
epist. xi I. lib. xii I. epist. cclxxii. vide Foren-
sia Budæi.

Expungere. Plautus Cistellar.

— *vt expungatur nomen ne quid debeam.*

Ita, milites expuncti; & stipendiis militem expungere,
apud Paul. lib. penult. De re militari, est militem
ære diruere.

Dispungere. Seneca lib. i v. Benef. cap. xxxi.
Apud me istæ expensorum acceptorūmque rationes dispu-
gentur. Hic finem facio; & copiam dispungendi,
si fui longior.

CAPVT II.

Quid Literæ, & unde dictæ?

QVONIAM suprà diximus scriptionem omnem fieri per literas, hic fuit ante alia de iis agendum. Igitur literas definit Isidorus libro I. cap. 111. *Indices rerum, signa verborum.* Gregorius Tolosas lib. XVI. *Syntax.* cap. 111. *signa pronuntiationis.* melius sanè quàm Scaliger lib. I. De causs. ling. Lat. cap. v. qui eas vocat *minimam partem dictio-* nis. melius quàm Goropius lib. 111. Hermath. qui cum veteribus quibusdam contra Scaligerum, appellat eas *minimam partem vocis.* Neque enim literæ seu scriptæ seu non scriptæ, possunt partes esse vocis aut dictio-*nis* quà vox aut dictio est, nisi quà scripta vox aut dictio est; quando omnis vox aut dictio, quà tales sunt, soni sunt: litera autem quà litera est, obiectum visus est (neque enim litera auditur, sed sonus literæ pronuntiatæ; neque quamdiu scripta nō est, litera est:) ecquù igitur res visibilis pars erit soni? Rectè ergo literæ signa pronuntiationis: etiamsi enim pronuntiatio in sono consistat, potest tamen eius signum aliquod sub visum cadere. Sic Hebræi literas וְיִתְהַלֵּא Othioth, id est, signa, vocant, inquit Greg. Tolosas lib. XVI. c. 111. De arte mirab. Sed propriè ea vox significat signa signorum; id quod clariùs literarum indicat naturam: sunt enim literæ signa vocum, voces autem signa rerum; sunt ergo literæ, signa signorum. Atque hinc confirmatur Isidori sententia definientis literas esse *indices rerum, signa verborum.* primò enim literæ signa sunt vocum, deinde

deinde signa rerum per voces. Loquor de literis non hieroglyphicis: quarum nonnullæ signa sunt vocum simul & rerum; plurimè autem signa tantum ipsarum rerum, vt apparer in Notis hieroglyphicis Astronomorum & Arithmeticorum. Certè non possunt mihi probari quorumdam veterum Grammaticorum, vt Prisciani, Diomedis & Marij Victorini opiniones, qui literam definiunt vocem aut minimam partem vocis. Illud autem miror præcipue, neque illos ipsos sibi satis constitisse in literâ definiendâ; nam Diomedes libro 11. & Priscianus lib. 1. dicunt *vim ipsam seu potestatem vocari elementum; literam autem esse figuram tantum illius potestatis; ex Scauro, qui literam appellat vocis quæ scribi potest figuram.* quomodo igitur litera erit vox, aut vocis pars, si est ipsius elementi nota quedam & *imago*, vt loquitur Priscianus. Sic Græci σημεῖα, σηματα, id est signa, teste Herodoto; item τύποι, id est formas: χαραγμένες, χαράγματα, id est, sculpturas: propriissimè verò χαραματα vocant, id est lineaturas, quia χαραματις, hoc est, lineis constat. Sic denique Latini, inquit Scaliger loco citato, *quia literæ omnes lineis constant, à lineando, eas primùm dixeré lineaturas, deinde literas.* In quam sententiam pridem etiam scripsit Bibliander in Commentar. literarum: *Denominantur literæ, inquit, à lino, vnde linea & lineamentum etiam dicitur.* Vera, nisi fallor, Bibliandri & Scaligeri sententia; nam & Marcianus confirmat libro 111. vbi sic loqui facit Grammaticam: *Mibi attributum literarum formas lineare.* Oculi ergo obiectum sunt literæ, sicut & omnes lineæ, non aurium; quare pars vocis aut dictionis, hoc est soni, qui erunt? Hinc apparent etiam Prisciani er-

C 3 ror,

38 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

ror, qui literas à lituris, quod delerentur, deriuat: prius enim facta quam deleta, inquit Scaliger. sed occupat his verbis Scaligerum Goropius: Benè fortassis, nisi mortales quoque homines vocarentur. At meo quidem iudicio frustra est illa Goropij similitudo, neque Scaligeri ratiocinationem infringit: non enim recte homines vocarentur mortui, ut mortales vocantur. Sic literæ sanè, non recte lituræ, et si forte possent liturabiles dici. Insurgit denuò Goropius: *Litura non solum deletionem, sed etiam tectorium seu incrustationem significat apud Columellam*; ab hac liturâ, litera dici videtur; cùm nempe tabulis primùm cerâ illinebatur ad scribendum; quæ cera instar crustæ alicuius seu lituræ erat, quando tabulis erat allata. Abiit in hanc sententiam cum Goropio Neapolitanus A porta lib. De not. furt. cap. xi 1. Ego tamen abeo in alia omnia: nam quia si à liturâ tali litera dicta est, quomodo igitur literam primâ syllabâ omnes Poëtæ producunt, lituram primâ syllabâ corripiunt? *Bella res*, inquit Goropius, *quasi non omnes veteres dupli litteram scriberent, non autem litteram, ut in Orthographiâ suâ adnotauit Manutius*. Tamen Goropi, plurima veterum exempla faciunt, ut Manutio vix credam; & certe ratio facit; quia non scribitur *littura*, vnde tamen vis ita scribi *litteram*. Denique cur non credam, literas apud Latinos dictas esse à linea; quando Græci à γραμμῇ, id est linea, eas appellant γράμματα? quando tu ipse Goropi, lib. secundo Hieroglyphicōn sub finem; verbum Scribo deriuas à Cymbricâ voce *Screff*; quæ lineam notat, vt ipse interpretaris? Fateor tamen, ingeniosum est tuum de literæ etymologiâ commentum; adeoque dignum visum quod huic loco

loco intexerem, ne quid de literæ etymo desiderari posset: Let membrum significat: quæ vox à delicatiōribus Lit effertur. apud Cymmerios, Em, vocem notat. vnde Aesem, halitus, qui est ē ca vocis, Aes-em. Ter, vel Der, articulus est. quamobrem Let-ter-em notabit, membrum ipsius vocis. Sed quia Let dicimus & Lit; ex litterem, Latinus se: it litteram; que nobis iam breuitatis causā, in singulari est letter, in plurali letteren. Non abnuo, vt aliis quis Goropio hoc credat; sed vereor id esse vnum de paradoxis illis de quibus ipsem Goropius dicit initio libri 111. Hieroglyphicōn, Auduisse se frequenter à viris Latinae, Græca, Hebraica lingua & peritissimis, dogmata sua plurima rationibus niti admodum firmis, & talibus vt eas vel reiicere vel frangere nequeant; sed tamen adduci non posse vt ea probent aut vera esse fateantur.

Iam verò nec probare possum Isidori & Seruij opinionem, qui literam quasi legiteram appellant, quod legentibus prebeat iter, aut legendō iteretur. Multo verò minùs stomacho meo facit frigidū illud Marij Victorini figmentū: *Quidam dixerunt litterā, quia leuat vt iteretur, id est, delectat iterū vt scribatur.* Illud autem omnino certum habeo, literas esse elementa dictas, vt Iul. Scaliger & Tolosas docent, quod ex illis componantur dictiones, sicut ex his corpora mista: quod affirmant item Priscianus & Tertullianus lib. v. contra Marcionem. clarissime autem his versibus Lucretius docuit libro 11. De rebus naturalibus:

*Quin etiam pasim nostris in versibus ipsis
Multa elementa vides, multis communia verbis,
Cum tamen inter se versus & verba, necesse est
Consiteare alia ex aliis constare elementis.*

Vnde admiror Diomedem Grammaticum, qui ita literam diuidit ab elemento, ut litera sit id quod scribitur, elementum autem vis ipsa & potestas literæ.

C A P V T I I I.

*Quæ literæ, à quibus, & quando
scriptio inuenta.*

Non alia res est, in quā plures magisque pugnantes sententiæ reperiantur, atque hæc tractatio de primâ literarum & scriptionis origine. videas dissipatū Penthei corpus. Quod verò huic disputationi tenebras densissimas adfert, est ipsa scriptorum nimia multitudo. Vnde profectum, ut neoterici maximè in tam diuersas sententias discesserint, non animaduertentes scilicet Gentium totarum & Regionum nomina fuisse interuallis temporum mutata, in quibus repertæ & excogitatae primùm literæ; & easdem Regiones ac Gentes diuersis nominibus apud veteres appellatas subinde fuisse; imò & literas mutatas à quibusdam, seruatam tamen sartam teclam linguam; vt de Hebræis nemo ambiguum habere potest. Et verò ab aliis retentas literas, mutatum loquendi genus; vt certum est de Italib; & Hispanib;, de Gallis, Belgis, Germanis, & Anglis. Hinc enim usu venit, vt qui nescierunt, Hebræos exempli gratiâ ante tempora Noë usque ad Adamum fuisse gentem sine nomine Hebræorum; post verò eamdem vel ab Heber filio Sale, vel ab habitatione trans, seu **רַבָּע heber**, flumen, Hebræam esse dictam: deinde à temporibus Iacob eamdem appellatam esse Israëliticam; deni-

denique vocatam Iudaicam: subinde verò ab Assyriâ in quâ habitauit, Assyrios; à Phœnicia, quam coluerūt, Phœnices; sicut Chananæos, Aramaeos & Syros: hinc inquam factum ut inter se adeò digladiati sint, non obseruantes tamen se rixari de nomine, conuenire de loco & gente.

Vult enim Philo literas ab Abrahamo primùm inuentas: Iosephus Iudæus, & ex eo Polydor. Virgilius, Opmerius, Gregor. Tolosas, Ludouicus Viues, Ioannes Annius Berosi interpres, excogitatas eas esse ab Enoch filio Seth, diu ante tempora Abrahami; Bibliander, ab Adamo; Eupolemus, Eusebius, Clemens Rom., Cornelius Agrippa, Crinitus, Textor, Giraldus, à Moyse; Clemens & Cyrillus Alexandrini, Herodotus, Pompon. Mella, Herodianus, Rufus, Festus, Zopyrion, Phornutus, Plinius, Lucanus, Iosephus Scaliger, à Phœnicibus; D. Cyprianus, à Saturno; Tacitus, ab Ægyptiis; nonnulli in Bibliothecâ Diodori, ab Æthiopibus: alij ab aliis, vsque ad nauseam. Igitur ne deinceps in hisce Cymmeriis tenebris errabundi vagemur, hoc primùm statuendum est; Primam gentem illam quæ ab Adamo per filium eius Seth, per Noë, per Heber, per Abraham deinde descendit ad Israëlitas, seu posteros Iacob, primâ ætate, quæ fuit inter Adamum & Noë, nullum certum habuisse gentis nomen, sed toto orbe fuisse dispersam aliisque permistam, vnoque cum Caini posteris idiomate vsam: *Erat terra labij vnius & sermonum eorumdem*, inquit Scriptura Gen. xi. capite. Post Noë item vsque ad Heber LXVII. annis à diluvio; vel tantum vsque ad habitationem Arphaxat vltra flumen, eadem gens adhuc anonyma

C 5 fuit.

42 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

fuit. sed postea, vel ab **הָבֵר** heber, quod trans significat; vel ab Heber filio Sale, vocata est Hebræa: quod vnum nomen retinuit, donec Iacob vocatus est Israël; ac tum cœpit præterea vocari Israëliticus populus. Eadem autem gens à posterris Scriptoribus vocata est Assyrij, Syri, Phœnices, Aramæi & Iudæi, ob loca quæ inhabitauit, ut scribunt Guilielmus Postellus ad Cardinalem Carolum, Ioan. Annus in Not. Berosi, Sigon. de Repub. Hebr. lib. 1. cap. 1. Polydorus Virgil. libro 1. cap. vi. Bibliander De ratione linguarum, Iosephus Scalig. in Notat. Eusebij, in posthumâ item epistolâ quadam ad Christoph. Puteanum, & in Explicat. nummi cuiusdam Constantini, vbi sic ait: *Chananæis, id est, Phœnicibus, tempore Abrahami lingua Hebraica fuit in usu.*

Hæc porrò gens Hebræa sola retinuit proprium idioma (quo anteà omnes omnino homines fuerant locuti, Adam, Sem, Noë, eorumque posteri) post Babyloniam confusionem, inquit Sigonius loco citato, Opmerius, Viues, & complures alij, de quibus pòst. Mutauit autem literas, auctore Hieronymo, cum iis quas hodie ab Esdrâ habemus, ut scribunt præterea plurimi. Ex enim fuere veteres, quas postea adferam Adamo adsignatas in Bibliothecâ Vaticanâ, immò iis fortè priores sunt illæ decem quas Irenæus vocat Sacerdotales.

His constitutis, arbitror omnino certum esse, primas literas fuisse Hebraicas: nam prima lingua fuit Hebraica, ut constat ex nominibus primis *Adam & Eva*. Omnes autem ferè gentes, ait Ammonius Philosophus à Giraldo laudatus, quemadmodum propriâ sibi voce, ita singularibus ac propriis quoque

vse

vse literis; neque literarum figuræ antè cœperunt esse diuersæ, quām diuersitas idiomatum nata est in confusione Babel. Numquam enim vnius aliquius linguae aut gentis literas legimus fuisse diuersas; nisi fortè capitales seu initiales, medias & finales, vt apud Arabes; vel solas initiales & finales, vt apud Hebræos; vel solas capitales, vt apud Latinos: aut certè quando gens aliqua in alterius venit potestatem; à quā cum legibus etiam literas acciperet.

Atque vt auctoritatibus Scriptorum eam opinionem confirmem: est in primis Plinij hæc sententia lib. vii. cap. lvi. ita loquentis: *Literas arbitror semper fuisse Assyrias*; id est Hebræas, vt ego interpretor, quia Assyria ab Hebræis primū habita fuit, vt nemo ignorat, etiam secundâ ætate, à Noë usque ad Abrahamum; & antè item quām ipsi Hebræi vocabantur, à primis hominibus primâ ætate, qui omnes Hebraicè loquebantur.

Deinde est eorum omnium sententia, qui, vt idem Plinius scribit: *Literas apud Syros repertas volunt, & apud Phœnices*. Syria enim, vt ex Plinio notauit Polydorus lib. i. cap. vi. dicta fuit & Assyria, & Phœnicia, & Palæstina, & Iudea, & Babylonica. Verba Plinij lib. v. cap. xi. sunt huiusmodi: *Syria quondam terrarum maxima & plurimis distincta nominibus: namque Palæstina vocabatur, quā contingit Arabes, & Iudea, & Cœle, dein Phœnicie, &c. ac magis etiam meridiana, Babylonica; & ultra Armeniam, Adiabene, Assyria antè dicta*. Cum Plinio stat Xenophon libello de Æquiuocis; capite de Æquiuoco Proteos; his verbis: *Tot*i* regio quæ est à sydone ad Iamineum portum cùm antè Assyria diceretur, ē Phœnicie nosnen*

44 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

nomen accepit, &c. In quæ verba ita commentatur Ioan. Annius: Nini proprium nomen Assyrius; is subegit Asiam totam & Africam usque ad Libyæ terminos; hinc omnes illæ regiones à victore dictæ Assyria; sicut postmodum inferior hæc regio, à Syro victore, dicta Syria. Eusebius autem & in Notis suis Scaliger dicunt Syros degenerasse ex Chananæis seu Phœnicibus, qui omnes loquebantur Hebraicè. Idem obseruat Postellus ad Carolum Cardinalem, Phœnices eosdem esse qui dicebantur Hebræi, esseque easdem Phœnicum & Hebræorum literas.

Est item eorum (qui plurimi sunt) sententia; qui nempe literas primas faciunt esse Phœnicias, hoc est Hebraicas, seu Chananæas, ut deinceps interpretabimur cum Theod. Bibliandro De origine literarum, & cum Ioan. Annio interprete Berosi, qui in Berosi Præfatione easdem facit literas Chaldaeas, Phœnicias, & Assyrias. ij autem ferè sunt: Timo Syllographus apud Sextum Pyrrhonium: Φοινικαὶ σηματα Καδμου.

Lucanus:

*Phœnices primi (fama si credimus) ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.*

Plinius lib. v. cap. xii. Ipsa gens Phœnicum in gloriâ magna est literarum inventionis. Clemens Alexandrinus lib. i. Stromat. Cadmus erat Phœnix qui fuit Græcis literarum inuentor, ut ait Euphorus: alijs autem dicunt Phœnices & Syros primos excogitasse literas. Nec absimiliter sentit Cyrillus Alexandrinus lib. viii. contra Julianum Apostatam. Laurentius Valla ad lib. Tusc. Ciceronis, laudat eius sententiæ testes, Herodotum, Herodianum, Tacitum, Rufum, Festum. Gyraldus Dialog. i. De Poët. adfert præterea

terea Pompon. Melam, Zopyrionem, Phornutum, Suidam; ipseque mox addit: Sunt inter Autores qui Phœnicias & Hebræas easdem pènè fuisse literas tradunt, atque ab Hebræis Phœnicas accepisse; non ab Aegyptiis, vt Tacitus credidisse videtur; quæ vera est opinio. Theodorus Bibliander lib. De rat. ling. cap. De orig. literarum: Plutarchus Phœnicibus, vt plerique alij, adscribit hoc inuentum. Phœnices autem Hebræos intelligere videtur. Cùm enim quæstio mota esset cur Alpha primum locum obtineret inter literas; respondet, Quia Alpha bouem significat Phœnicibus, quem ipsi primum estimant inter res necessarias: Aluph autem bouem significat apud Hebræos. ergo iidem sunt Phœnices & Hebræi. Guilielmus Postellus de Phœnicum literis Praefat. ad Carolum Cardinalem Lotharingiæ; & cap. De prisco Phœnicum charactere: Græcos habuisse usum literarū ab Hebreis, qui iidem sunt Phœnices, Eusebius ex nominum ratione testatur. Sed more Chaldaico, addito ferè ubiuis ad vocabuli finem elemento A, vobula protulerunt; verbi gratiâ, Alfa pro Alef, Beta pro Beth, Gamma pro Gamel seu Gimel, Delta pro Dalet. Deniq; Iosephus Scaliger epistolâ postumâ ad Christophorum Puteanum, &c in Explic. nûmi Constant. Ex numismatis inquit, quæ quotidie effodiuntur in partibus Tyri & Sidonis, in quibus characteres illi (Phœnicij) extant sine ullâ mutatione; nam lingua Hebraica est quæ in usu fuit Chananeis, hoc est Phœnicibus, tempore Abrabam. In Notis item Eusebij circa annum orbis conditi M. DC. XVII. Phœnicis olim omnes & Chananei & Hebræi usi sunt, adhucq; Samaritani utuntur; neque alia in usu fuerunt à temporibus Moysis, usq; ad excidium templi.

Sed ne longum faciam, adferendo auctoritates non omnino clarissimas; clarissimis verbis

46 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

bis eamdem sententiam tradidere, Ioannes Annianus, initio libri primi Not. Berosi: *Quod, inquit, ab Adamo cœperint literæ & disciplinæ insusæ, non est ex fide tantum, sed etiam historiâ Gentilium, & traditione Chaldeorum, qui se Astronomiam & literas habuisse ante Alexandri monarchiam, tribus millibus & DCXXXIV annis afferunt. Erant igitur in vsu literæ & ars fusilis, mille annis ante inundationem. Porro viuente Adamo & agente annum DCXXII. natus est Enoch Genes. v. Quare conjectura est & firmum argumentum, eundem Enoch ab ipso at quo suo primo Adamo suscepisse literas. Item Petrus Gregorius Tolosas lib. x v. Reipub. cap. i. his verbis: Constat antiquissimam esse literarum inuentionem, eamque traxisse originem primam & characteres ab Hebreis, non à Chaldeis vel Græcis. Paulò verò superius: Ab Hebraicis characteribus aliarum linguarum & nationum characteres efformati & tracti videntur; paulum pro more, & antiquitate, & vsu variati, & à rectitudine in aliam delineationem vel imperitiâ sribentium vel alio casu declinantes. Item sub finem: Fuere tamen aliæ gentes, quæ vel alias addiderunt, vel alias figuræ adiunuerunt ex consensu receptas. Theodorus Bibliander Commentario De literis, cap. De Grammaticâ & literis: Primus homo, inquit, & Patriarcha totius humani generis literas diuinâ inductione reperit. Polydorus Virgilius lib. i. cap. vi. Reperimus ante diluvium Noë apud eos omnino usum fuisse literarum. Iosephus enim in i. Antiq. cap. iv. tradit filios Seth (qui fuit filius Adæ) in duabus columnis disciplinam cœlestium rerum à se primò inuentam conscripsisse. quo apparet iam tum literas fuisse; quas fieri potuit, vi aquarum deletas Moysen dein adiuuenisse, &c. quapropter rectius, mē quidem sententiâ, Philo primam literarum inuentionē tribuit Abrahamo qui Moyse an-*

se antiquior est. Nisi hoc sit potius filius Seth attribuendum, qui ipsum etiam Abrahamum multis annis præcesserunt. Angelus Roccha à Camerino Commentariis in Biblioth. Vatic. In Bibliothecā Vaticanā è regione primæ columnæ parastaticæ à tergo introitus Bibliothecæ pictus est Adam, &c. Supra huius caput literæ Hebraicæ antiquæ leguntur: ad eiusdem pedes inscriptio Latina in hanc legitur verborum formam: Adam diuinitus edocitus primus scien- tiarum & literarum inuentor. Ratio autem ipsa persuadet, Adamum, &c. characteres aliis præmonstrasse, &c.

Vero simillima, ut ego quidem censeo, Polydori, Bibliandri, Tolosatis, Annij, & Angeli sententia; quam tenuerunt præterea Ludouicus Viues in cap. xxxix. lib. xvii. De ciuit. Ioannes Tzetzes Chiliad. xii. Opmerius Chronicus sui fol. xvi. Neque aliud, opinor, dicere voluit Plinius, cum scripsit lib. vii. cap. lvi. Aeternum sibi videri esse literarum usum. & ex Platonis Ty- mæo Iustinus Martyr, apud Aegyptios multorum annorum millium usum literarum fuisse proditum; quæm nempe ab omni hominum memoriâ, etiam initio conditi orbis usum fuisse literarum. Benè ergo ait Opmerius loco citato, Non Esdras primas inuenisse literas, ut Hieronymus putauit Prefat. in lib. Regum, & Agrippa lib. ii. Occultæ Philosoph. sed ab eo potius (postquam patriis sedibus fuerant depulsa) iure quasi postliminy vindicatas & Iudeis restitutas, ut scripsit Augustinus lib. xviii. De ciu. cap. xxxix. in hæc verba: Non est credendum quod nonnulli arbitrantur, &c. Hebreas literas solum à lege cœpisse, quæ data est per Moy- sen, sed potius per illam successionem Patrum, memoratam linguam cum suis literis custoditam; nam Moyses in populo Dei constituit qui docendis literis præfessent, priusquam di-
lœ
tumæ

uinæ Legis vllas literas nossent : hos appellat Scriptura,
 Grammaton ifagogos. Similia sunt Augustini verba
 Quæst. LXIX. Exodi, disputantis qui sint *χαρακτήρεις*. Hic sanè significatur quod ante Legem datam
 habuerint Hebrei literas, &c. Nonnullis enim videtur à
 primis hominibus eas cœpisse, & perductas esse ad Noë, at-
 quis inde ad parentes Abrahae, & inde ad populum Israel.
 Omnino autem clara sunt Suidæ verba, voce
 Adam : Adam, inquit, primus homo Dei manu effi-
 ctus, &c. Huius sunt artes & literæ, huius scientiæ ratio-
 nales, & non astrictæ legibus rationis; huius, prophetiæ, sacri-
 ritus, purgationes, leges scriptæ pariter & non scriptæ; hu-
 ius denique sunt omnia inuenta & discipline, & quacum-
 que ad vitam atque consuetudinem utilia sunt & necessaria.
 Et certè credibilis omnino est illa Opmerij alio-
 rumque coniectura ; nam eodem prorsus modo
 Diodorus Siculus demonstrat errasse Græcos in
 laudando Cadmo, vt primo Græcarum literarum
 auctore, qui tantum fuit earum instaurator, post-
 quam Græcæ literæ omnes ingenti diluvione fuissent
 extinctæ. Adeoque simili errore narrat Lu-
 douicus Viues lapsos esse Eupolemum, Artapanum,
 aliasque profanos scriptores, qui Moylen
 de Hebraicarum literarum vindice, fecerunt etiam
 primum auctorem. & Guillelmus Postellus De
 literis Phœnicum, ad Caroium Cardinalem scri-
 bit, singulas ferè gentes (vt homines semper am-
 bitiosi sunt) sibi inuentarum literarum gloriam
 vindicasse; Arabes autem, vt id posteris persuade-
 rent, literarum suarum (quas ab Hebreis habuere)
 nomen, figuram & ordinem ferè conturbasse, ne
 internosci possent, aut similitudinem cum iis ha-
 bere viderentur. Igitur rationibus & testibus nunc
 videor

videor satis probasse, primas literas fuisse Hebraicas, primamque scribendi artem ab Hebreis esse inuentam, auctore Setho, vel eius patre Adamo. Quamquam illud verissimum est, non adeò frequentem fuisse primis illis temporibus literarum usum; cum quod paucis adhuc essent notæ, ut fieri amat primis ferè rerum omnium exordiis; tum quod rara essent studiorum negotiorumque commercia: vnde Chaldæi, Pythagoréi item ac Druidæ, pleraque mysteria sua *ægypciæ* per manus propagabant ad posteros, ut annotauit Iulius Scaliger lib. i. Poët. cap. 11. quod Latinos etiam initio fecisse narrat ita Liuius lib. vi. *Tum quod rara & parua per ea tempora literæ fuere; una custodia fidelis rerum gestarum, memoria.*

Iam illud videndum, ad quos primùm ab Hebreis literæ velut in colonias deducētæ sunt; quibus item auctoribus nouę apud singulas ferè gentes, pro diuersitate linguarum sunt excogitatæ. Ad risum usque Scriptores hīc secum pugnant, & cum aliis, ut in hanc rem Lilius Gyraldus scripsit Dialog. i. De Poëtis; cuius hīc verba subnectam:

Numquid vetustiores ceteris Atticorum literæ? minimè, inquam, puto. Vetus tamen est Græcorum prouerbium, ut Atticis literis aliquid factum affirment, quod sit vetustissimè factum. Scribit Val. Harpocratian, id quod etiam aliquad ex parte Suidas, quod scribendi ratio apud Græcos per vingtiquatuor literas serò est ab Ionibus reperta. Theopompus quoque xxv. Philippicarum, fœdera ait aduersus Barbaros, non Atticis literis, sed Ionicis sancta fuisse; quasi, ut puto, dicat literis recentioribus. Sunt tamen qui hoc in Cercopem Atheniensium Regem & legislatorem vetustissimum referunt; qui vel eas apud Athenienses inuenierit primus, vel

D

obfo-

50 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

obsoletas renouauerit; cum forte in omni Graciâ literâ deperditæ fuissent, aquarum, ut creditur, illuione; ut est apud Diodorum Siculum. Cornelius autem Tacitus, Per figurâs, ait, animalium Aegypti sensus mentis effingebant, & antiquissima monumenta memoriae humanae, impressa saxis cernuntur, & literarum se inuentores perhibent; ut hinc facilius illa Lucani verba pateant:

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Nouerat; in saxis tantum volucrè que feræq;
Sculptaque seruabant magicas animalia linguas.

Subiungit Tacitus: Inde Phœnices, quia mari prepollebant, literas intulisse Graciæ, gloriâmque adeptos, tamquam repererint quæ acceperant. quippe fama est, Cadmum classe Phœnicum vectum rudibus adhuc Gracorum populis, artis eius auctorem fuisse. Alij Danaum prodiderunt; quidam Cecropem Athenensem, vel Linum Thebanum; & temporibus Troianis Palamedem Arguum memorant xv i. literarum formas, mox alias, ac præcipue Simonidem ceteras reperisse. Literas quidem nos (verba sunt Lilij) in Musarum libello docuimus à Musis inuentas fuisse; sed enimuerò Aristophanes Aeschylus versus quosdam commemorat, in quibus videtur asserere Prometheus inuenisse literarum compositionem. Plato insuper, & ab eo Cicero, item Diodorus & Lactantius à Mercurio Aegyptio, quem Thoyth vel Thoth (Theut, Teuthatem vel Thautum alijs vocauere) literas inuentas prodidere apud Aegyptios: alijs ab Iside Deâ; nonnulli ab Anubi. Sunt qui Rhadamanthum asserunt, apud Assyrios. Phrygiarum vero literarum sunt qui Herculem eum, qui Aegyptius fuit, inuentorem faciant. Plinius ait arbitrari se, literas semper fuisse Assyrias. Alij apud Syros repertas volunt, quod Eusebius adstruit ex antiquis. Addit Plinius, vtique in Graciā atulisse è Phœnico Cadmum sexdecim numero; quibus Trajanœ

ET REI LITERARIAE ANTIQVIT. si

iano bello Palamedem adiecissem has quatuor Θ, Ε, Φ, Χ. Totidem item postea Simonidem Melicum Ψ, Ζ, Η, Ω. quarum omnium vis in nostris recognoscitur, Aristoteles decem & octo priscas fuisse, & duas ab Epicharmo additas Ο & Υ, quam à Palamede mauult. Anticlides quemdam in Aegypto inuenisse literas nomine Memnona tradit, annis quindecim ante Phoroneum antiquissimum Græciae Regem. Epigenes è diuerso, apud Babylonios D C C. & x x. annorum observationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet, grauis auctor in primis: qui verò minimum, ut Berossus & Critodemus, dunt quadringentorum & octuaginta annorum; ex quo apparet, ut idem ait Plinius, aeternus literarum vsus, vel, ut ego interpretor, vetustissimus. In Latium literas attulere Pelasgi; pleriq; Camerantam aiunt, quæ & Nicostrata dicta est, Euandri mater: atque ideo ab initio sexdecim tantummodo Latinorum literæ fuerunt, sicut Græcorum, ut ostendimus. & penè easdem fuisse idem Plinius asserit. At verò Tacitus scribit, in Italia Hetruscos literas à Corinthio Damaratho, Aborigines ab Euandro Arcade addicisse. Scribit Socrates, Wilphilam (quem Gulphilam etiam vocatum video) Gothorum Praefulem Gotthicas literas excogitasse. De quibus omnibus extant & hi versus apud Crinitum ex Biblioth. Septimanâ, lib. xvii. De honestâ disciplinâ:

Moses Hebreas primus exarauit literas,
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas,
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata:
Abram Syras, & idem repperit Chaldaicas;
Isis arte non minore protulit Aegyptias,
Gulphila promptis Getarum quas videmus ultimas.
Simplicius scribit Isidorus lib. I. cap. 111. Literæ Latinae & Græcae ab Hebrais videntur exortæ. Ad Latinas autem postea addita F, ex duplice Gamma conflata hoc modo F. &

D 2

hinc



52 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

hinc illi nomen digamma. ita addita H spiritus nota , ex duobus ut putatur Græcis accentibus (ἢ ἄν & δωρεῖα) H, tum etiam Κ antisigma à Claudio, pro Græco Ψ. Scribit Eustathius literas longas, id est, H & Ω, itemque duplices, primum Simonidem intulisse ; cuiusmodi sunt Z, Ζ, Ψ. Philostratus in Heroicis , inuentionem literæ Υ Palamedi tribuit, quod subindicit etiam Martialis :

Turbabis versus, nec litera tota volabit,

Vnam perdidieris si Palamedis auem.

Ex Græcis tamen quidam prodiderunt, sexdecim illis antiquis Cadmum Milesium addidisse has tres , Θ, Φ, Χ. Post hæc Simonides Ceius , duas addidit vocales longas H & Ω. Syracusius verò alter Simonides , vel vt alij opinantur Epicharmus, tres superaddidit, Z, Ζ, Ψ. Sanè in Samo quatuor & viginti literæ Græcorum primum repertæ produntur à Callistrato, vt Andron in Tripode : idem verò Ionum literas tradidit Atheniensibus , &c. Homerus autem Mæonius (vt ex quodam Archilochi fragmendo apparet) Olympiae xxi. Græcas literas & earum formas emendauit. Quas enim Cadmus illius nominis quintus è Phœnicia attulerat in Græciam, rudes erant , inquit Xenophon lib. De Aequiuocis, non Phœnicia, sed Galatarum & Mæonum characteribus persimiles. Sanè hoc loco missa facio, quæ Annius Vetulonius commentus est , multa & curiosa ad fastidium usque : Gallorum enim & Hispanorum literas Græcis vestigia afferere non dubitauit, quin & ab illis Græcos accepisse. Hucusque carptim accepta verba Lilij Gyraldi ex Dialog. i. Histor. Poët. sed reuerà tamen non ita leues sunt rationes Annij illius Vetulonij seu Viterbiensis , è Dominicana familiâ insignis Theologi; quibus ita de Gallis & Hispanis loquitur in libell. Xenoph. cap. de Æquiuocatione temporum : *Quod circa initium Nini fuerint literæ atq; leges*

leges non solum Hispanis, verum etiam Gallis & Germanis, auctor est Berosius. Is in v. Antiq. sic dicit: Anno IV. Nini literis & legibus Germanos format Tuiscon gigas; Celtas verò Samothes, & Celtiberos Tubal. Hinc ita ratiocinatur Annus: Iberi igitur, Samothes & Tuiscones, patres literarum inueniuntur ante Græcos, plus quam mille annis; vt Aristoteles in Magico & Zenon vere asserunt; & non Græci, vt Ephorus mendax, &c. Item in lib. v. Berosi sic habet Annus: Strabo qui Octauiani tempore floruit, scribit in iv. libro Geographia Bæticæ, quod asserebant Hispani se habuisse literas iam ante sex millia annorum Ibericorum, qui efficiunt duo millia Solarium. Si verò ab Octauiano supputes retrò duo millia annorum, peruenies ad vigesimum annum Nini, &c. Quare consentiunt ferè Berosus & traditio Strabonis de origine literarum apud Hispanos: quales autem Hispanorum characteres essent, opinio mihi est, quod quales & Sagi & Tufci.

En quantæ Scriptorum rixæ, quantæ sententiarum pugnæ? Quid credas? quid non credas? Quid iterum dicas de Agrippâ, qui lib. i. occult. Philos. cap. 2. Gothicarum literarum auctorem facit Cordanum Episcopum? Francicarum, quemdam Doracum seu Hictium? Quid de Auentino, qui lib. 4. Annal. Boior. scribit Slauicas inuentas à Philosopho Methodio? Quid de Aimonio, qui lib. 3, cap. 42. narrat, Gallos à Childerico Rege iussos recipere has quatuor Græcas, Ω, X, Φ, Θ. quod idem scribit D. Gregorius Turon. lib. 5. Histor. Francic. cap. 44. Lis est, quæ fatiget omnia tribunalia; etiam illud Luciani vrbanissimum, in quo Vocales ipse iudicant; Sigma accusatur furatrine, Tau agit iniuriarum cum Sigmate; in quod illos

D 3 ambu-

54 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

ambulare iubeo, quibus hæc non sufficiunt. Ego h̄ic quod verius esse iudico, ex Guilielmo Postello, Angelo Roccha, Annio, Petro Gregorio, Isidoro, Bibliandro, aliisque, quid sentiam, adscribam: videri nempe primas literas esse Hebraicas; ex his proximè natas esse Chaldaicas quæ vix extant; deinde Assyrias, seu Babylonicas, seu Syriacas, seu Arameas, auctore Abrahamo, ut constat ex inscriptione Bibliothecæ Vaticanæ. Chaldaicæ enim literæ eadem nunc omnes sunt (olim aliæ) quæ Hebreæ, neque aliud est Chaldaica lingua quam dialectus Hebraicæ, ut scribit in Grammaticâ suâ Chaldaicâ Guido Fabricius Boderianus. Iterum ex Syriacis seu Arameis natæ sunt Ismaëliticæ seu Arabicæ, quibus hodieque vntuntur Turcæ, Tartari & Saraceni, auctore Volaterrano lib. xxxii. cap. ii. Ex Syriacis, Samaritanæ item, quæ ad eas propius quam ad Arabicas accedunt. Et fortè ex iisdem Gothicæ, non multum his absimiles, quas Ioannes & Olaus Magni, Archiepiscopi Vpalenses ambo, auint diu ante Latinas literas inuentas, fuisse Aquilonaribus usurpatas. Ex Hebreis etiam natæ sunt Ionicæ seu Atticæ apud Græcos antiquissimæ, & Græcorum item modernæ. Post Græcas Latinæ etiam ex Hebreis. Aethiopicæ & Aegyptiæ non ex Hebreis natæ sunt, sed è rerum figuris; neque enim tam sunt literæ, quam imagines & compendia sententiarum aut vocum. Aliarum gentium literæ non liquet quando sint, aut à quibus deducuntur. Nam de Cimbris quæ scribunt Goropius & Scieckius, de Gallis Postellus, de Hispanis Annus Virbiensis, difficulter sanè mihi videntur credibilia.

De



De prioribus autem quæ dixi, vera esse ostendam
capitibus v. vi. & vii. ubi ex literarum nominin-
bus apud eos omnes iisdem, iisdem item figuris
propè ac potestate id declarabo.

C A P V T I V.

De numero literarum.

NI HIL ferè simul natum & perfectum est;

Cruda puerperia & viridis puer excidit alno.

Facile inuentis aliquid additur: unde & quæ ru-
diora paucioraque sunt, priora esse non ineptè
coniicimus: vrsa catulos lambendo refingit. Igi-
tur hinc nouo argumento confirmo superioris ca-
pitis sententiam; nempe, videri omnium omnino
antiquissimos characteres esse Hebraicos: nam
hi, Ireneo teste, priuñum tantum decem fuere;
quām pauci in nullā omnino linguā aliā fuisse
primū surpati, à nullo auctore memorantur.
Quomodo igitur à Phœniciis literis vult Scaliger
descendisse Chaldæos, Hebræos, & Græcos cha-
racteres? cùm illæ (vt ipse met numerat) semper
fuerint numero xxii. Hebræi characteres pri-
mū solummodo decem: Græci vel sexdecim, vt
Plinius; vel octodecim, vt Aristoteles; Latini non
plures. Quid? an qui à Phœnicibus ad Chaldæos,
ad Hebreos, ad Græcos, ad Latinos, Phœnicias
literas transtulit, in itinere reliquarum est oblitus
quas hi Phœnicibus habuere pauciores? Vnde
igitur alias tradidit, alias prætermisit? An fortè Θ,
& φ, & ρ, Palamedeæ aues, quæ instar volucrum
alatae sunt, homini de manibus euolarunt? Sed

D 4

redeo

56 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

redeo ad institutum : Inconstans est sententia , inquit Gyraldus Dialog. 1. De hist. Poëtarum , non apud Latinos modo & Græcos , sed aliarum quoque gentium scriptores de ipsarum literarum numero : nam & Græcorum quidam tredecim tantum literas esse voluerunt , quod totidem sint vocis elementa , ut scribit Halicarnass. in Rhetorics ; alijs ferè voluere esse innumerabiles , ut Pyrrhonius colligit . In qua re & apud Latinos variatum . Sed & hodie plerèq; Orientales & Meridionales nationes in literarum numero variant : alijs enim viginti sex sibi literas adscriuere ; alijs sex etiam ultra iis addidere usque ad triginta duas . Alijs multò plures , ut Nub & Africæ populi , qui quadraginta septem literarum notis uti produntur . Imò P. noster Nicolaus Trigaultius histor. Sinensis lib. 1. cap.v. ita de iis scribit : Apud Sinas , non pauciores literæ quam voces numerantur ; eas tamen inter se ita componunt , ut lxx . aut lxxx . millia non excedant . Chaldæi verò & Syri seu Aramæi , quantum concidere licet , in agis stabiles fuisse videntur . At verò Hebræi ipso , ut & Aegyptij varij fuere , si Irenæo credimus , ita scribenti lib. 11. cap. 41. aduers. hæreses : Antiquæ & primæ Hebraeorum literæ , quæ Sacerdotiiles nuncupatae , decem quidem fuere numero . Scribuntur autem quæque per quindecim , nouissimâ literâ copulatâ primæ , &c. Sanè ut Hebraeorum literæ sunt viginti due , ita & Syrorum & Chaldæorum ; Hebreæ tamen ad viginti sepm excreuerunt , cum iis videlicet , quæ duplices , seu biformes , & finales vocantur . Quin & vigintidue illæ , vetustiores aestimantur , ut ex Dauidis Psalmis quibusdam & Ieremiæ Threnis , Salomonisq; Proverbiorum fine .

Hic omnino numerus literarum Hebraicarum : sed quæ fuerint primæ illæ decem Sacerdotiales apud

apud Irenēum, non satis scio. quis item ceterarum auctōr, quis duplīcium inuentor? aqua mihi hēret.

De auctōribus auctarij apud Græcos & Latinos aliquanto sāpiūs & clariūs loquuntur Scriptores, sed variè; ita vt hallucinari videantur, quod notatum suprà. Vel enim Palamedes, vt vult Plinius; vel Pherecydes, vt scribit Apuleius, inuenit has quatuor, Θ,Ξ,Φ,Χ: vel sanè Palamedes intulit primas sexdecim, vt scribit Tacitus, quem in Notis suis ad Suetonium, fortiter contra Lipsium asserit Casaubonus; vel ad has octodecim, A, B, Γ, Δ, E, Z, I, K, Λ, M, N, O, Π, P, Σ, T, Υ, Φ, duas adiecit Epicharmus Θ, & Ψ: longas vērō vocales H & Ω, Simonides: τ fortè Palamedes, vt Martialis & Philostratus, vel Pythagoras, vt inscriptio Bibliothecę Vaticanę. Duplices, z, Ζ, Ψ, fortè Simonides, vt Eustathius; fortè Epicharminus, vt alij.

Latini vērō, inquit Polyd. lib. 1. cap. vi. Græcorum imitatione, literas sex ad priscas suas duodecim addiderunt, F, K, Q, X, Y, Z.

Considerandum autem à quibus acceperint: F digammon ab Æolibus acceperunt; quod, Prisciano teste, apud antiquissimos Latinorum eamdem vim atque apud Æoles habuit: sed deinde Claudius Cesar, vt Tacitus scribit lib. xi. F pro V consonante recipiendum constituit; vt Fulgus pro Vulgo. Vnde Quintilianus lib. 1. cap. viii. Non inutiliter Claudius Aeolicam illam ad hos vſus F literam adiecerat. In quę verba Torrentius apud Suetonium cap. xli. Claudij, monet legendū esse 4 digaminon, pro V. Sic Octagia, &c. Et rectè: nam ita etiam Priscianus: *Apud Aeoles olim F digamma, id est Vau, ab ipsius voce prosectum, teste Varrone & Didymo,*

D 5 qui

58 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

qui id ei nomen esse ostendunt; pro quo Cæsar hanc figuram ζ scribere voluit. Plura in hanc rem vide apud Angelum Roccha in Biblioth. Vaticanâ, Lipsium in Tacito, & Iulium Scalig. lib. 1. De causs. ling. Latin. cap. vii. Illud tamen præterea hîc obseruandum est, apud Latinos F poni cœptū pro PH, ut Fama pro PHama. Vnde cùm Sueton. cap. xli. ita dicit de Claudio: *Nouas etiam tres commentus est literas.* ita intelligendus est, vt velit literam F, tantum quoad nouum pronuntiationis modum ab eo esse inuentam; atque ita vnam de tribus Claudij literis fuisse nouum illud digamma ζ : nam figura eius non à Claudio, sed ab Æolibus priùm facta est. Altera autem litera (auctore Prisciano & Marciiano Capellâ) fuit ζ C $\alpha\tau\iota\gamma\mu\alpha$; pro literâ Ψ . Tertia quæ fuerit, non satis constat; nisi quòd Vertranius Maurus in ea verba Taciti, vbi de hoc Claudij inuento loquitur, scribat, se legisse Romę apud Velium Longum in libro De orthographiâ manuscr. apud Strossium literam nouam à Claudio excogitatam, similem ei notæ quam pro adspiratione Græci ponunt: de quo vidēdus Quintilian. lib. 1. Institut. cap. iv. & v i. Sunt tamen qui volunt tertiam illam Claudij literam fuisse X, pro literis SS, vel GS. quod Lipsio in Tacit. non probatur; sed omnes tres, viuo adhuc Claudio, fuere tandem sepultæ, vt refert Tacitus.

K Latini à Græcis sumpsere, sine necessitate. primus id fecit Salustius ludimagister, vt narrat Isidorus libro 1.

Q visa est esse pinguioris soni quam C; quo auctore, nescitur. Sunt qui Licinio Caluo tribuunt: Biblioth. Vaticana, Euandro.

X, ix,

X, ix, ut pronuntiamus pro CS, vel GS; ideoq;
iis ambabus carere poteramus, inquit Quintilianus & Isidorus; inuentum Claudij Imperatoris.

Y & Z à Græcis accepta sunt. eorum usus tan-tùm est in iis vocibus quas è Græciâ integras Latini in linguam suam intulerunt.

G pro C primus apud Latinos substituit Sp. Cari-bilius Grammat. auctore Plutarcho, qui mos hu-cusque inueterauit. At non ita feliciter euenit res Claudio Centiniano, qui (vt Pomponius refert, Dig. de Orig. Iuris, titul. 11.) literam S pro R inuexit; vt nempe Fusios & Valesios diceremus, pro Valeriis & Furiis. Dulcis palati & oris hominem, qui literulæ vnius asperitatem non ferret. Nec verò melius cecidere conatus Arrio illi Catulliano, qui nimiùm adspirationibus delectatus, passim eam vocalibus præfigebat:

Chommoda dicebat, si quando commoda velle

Dicere; & his fidias Arrius infidias.

Dignissimus autem exitus consecutus est com-mentum illud Flori, volentis Augusto persuadere, pro O passim scribendum dicendumque esse AV, vt Aula & Plaustrum, pro Ollâ & Plostro. Au-gustus enim vt bellè hominem eruditet, postridie ad se aduentantem, non Florum, vt solebat, sed Flaurum appellauit; quo risu homo ridiculus nouitatibus deinceps abstinuit.

Porrò etiam si portentii instar haberi debet, tam paruo è litterarū numero, tantum tam diuersorum in omni lingua vocabulorum numerum conflari posse; illud tamen longè admirabilius est, effici posse, vt omnes omnino totius Orbis gētes, etiam si distinctissimis utantur sermonibus, sese intelli-gant,

60 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

gant, non quidem locutione, sed scriptione. Adeoque, si cui tam sagax fuisset ingenium tempore Babylonicæ permixtionis, potuisset is omnes homines locutione dissidentes, vna literarum societate vincere, & in turris exædificandæ officio continere. Iuctunda dignaque hæc res est, quam eruditæ expendant; quemadmodum nempe non obstante sermonum dissimilitudine, solæ literæ sarcire possint dilaceratam tot gentium societatem.

Si singulæ literæ impositæ essent, non vocibus, sed rebus ipsis significandis, eæque essent omnibus omnibus communes; omnes omnino homines, etiamsi gentes singulæ res singulas diuersis nominibus appellant, singularum gentium scriptiōnem intelligerent. Apparet ea res in literis Astronomorum hieroglyphicis. Hi Taurum, verbi gratiâ, scribūt hoc signo ☶, Geminos isto II. quibus iisdem signis visis, Taurum & Geminos esse facilè intelligentes & Hebræi, & Græci, & Latini, & Galli, & Itali, & Hispani, & Angli, & Poloni, & Germani, & Belgæ, &c. si tamen locutione easdem res exprimant singuli, nulli intelligent se mutuò: *Taurum* enim appellant Latini; *Schor*, Hebræi; *Taῦρον*, Græci; *Toro*, Itali & Hispani; *Taureau*, Galli; *Verre*, Belgæ; *Stier*, Germani; *Beick*, Poloni; Angli, *A bulle*. Ita *Geminos*, Latini; *Theomim*, Hebræi; *Διδύμοις*, Græci; *Gemeaux*, Galli; *Doppj*, Itali; *Zwyllingen*, Germani; *Tweelinghen*, Belgæ; *Doblados*, Hispani; *Dwoistj*, Poloni; Angli, *Twoo*. Atque ita Sinenses & Iapones, qui linguis tam sunt dissimiles quam Hebrei & Belgæ, mutuos tamen libros & scriptiōnem legunt, atque intelligunt, quia earumdem rerum significatiuissimis

tiuis literis iisdem vtuntur, vt scribit Nicolaus Trigaultius noster in Sinensi Expeditione.

Est autem huius arcani hęc, vt puto, ratio; quod res & earum conceptus in omnium hominum animis sint iidem (neque enim Hebræi aliter concipiunt canem aut equum, atque Hispani & Galli) vnde & signa earumdem rerum significatiua, si omnibus fuerint communia, suggerent quoque omnibus eosdem rerum conceptus. At si signa fuerint non rerum, sed vocum significatiua, voces quidem illas facilè legent omnes ij, quibus fuerint ea vocum signa communia; at certè (quia apud singulos ferè diuersæ sunt eiusdem rei voces, vt patet in Taurō & Geminis) non intelligent quid illæ voces significant, non enim Græcus intelliget librum Gallicum Græcis literis scriptum, et si eum facilè leget. Ergo vt & legere & intelligere quiuis posset quælibet scripta, necesse esset omnibus communes esse literas aliquas, non vocum, sed rerum proximè aut conceptuum significatiuas. Sic nempe coire possent denuò homines omnes, veterem illam primi orbis societatem tanto olim sermonum diuortio dissipatam: sic nullo vspiam opus esset interprete; nulla hominum librorūmve esset inaccessa sapientia.

Sed fortè obiiciet quispiam, rem esse omnino fastidiosissimam ac desperandi laboris, tot literas facere & discere quot sunt voces: atque adeò nec ita satis fore octoginta literarum millia, quot Sinnenſes habere narrantur. Huic ego respondeo: Fac esse centum literarum millia, fac esse plura; cedo, an non in quolibet cuiuscumq; gentis idiomate, tot vocabula sunt & plura; an non ea omnia

nia discit & memoriâ tenet quiuis opilio & subulcus? An non suas omnes literas callent Sinen-
ses, qui totidem habent quot voces? Cur ergo
difficilius esset nos etiam & quosquis alios totidem
literas discere ac voces? Velim aestimetur hęc res,
neque difficilior opinione esse credatur.

C A P V T V.

De ordine literarum.

ID E M ferè ordo literarum seruatus est à genti-
bus omnibus qui ab Hebræis, extra Arabes so-
los, qui plus nimio glorię cupidi, literarum sua-
rum ordinem, vt & figuræ noluerunt videri ab
aliis accepisse. Græci & Latini veteribus literis,
nouas suas tantum inseruerunt vel subiunxerunt.
Inspice penitus & non dubitabis. ¶ Vau Hebraic-
um quod sexto loco ponitur, à Latinis tantum
inuersum est Γ, eodemque loco cum eadem po-
testate retentum. Græci verò eius loco substitue-
runt episemon, formā non multum absimile; eā-
dem cum, potestate numerandi: notat enim
Græcis, sex; sicut, Vau Hebræis: ipsum autem
mutarunt in Y, & reiecerunt in calcem.

Iterùm Græci reiecerunt Hebraicum p Coph,
eiusq; loco sumpserunt inuersum y Tsade pro ψ,
quasi Psade, quibus solis ex punctis ex Alphabeto
Græco & Latino, habebis eumdem ferè ordi-
nem cum Hebræis, sed suis & nouis literis au-
torem; vti obseruauit Guilielmus Postellus Com-
mentariolo De literis Phœnicium, ad Cardina-
lem Lotharing. Porrò ordinem quem hodieque
habe-

habemus, partem natura, partem error induxit. Græci suum à Palamede Nauplio ferunt inuentum, vel à Simonide, vt apud Lucianum est in Iudicio vocalium.

A apud omnes gentes literarum agmen ducit; Ausonius:

Dux elementorum studiis viget in Latiis A.

Est enim A, inquit Scaliger lib. 1. De caus. ling. Lat. c. xxxviii. *prima notissimaq; infantis vox, cum quā* vita huius spiritum primum hausimus; neque re vllā eget alia quam biam oris solo, sine vlo ceterorum motu instrumentorum, &c. Primores consonantium autem sunt B, G, M, quare Arabes atq; Hebræi Græciq; longè quam Latini sapientius, qui statim post A ponerent B, post quā G, non C, vt nostri: facilius enim G quam C pronuntiatur.

L quoque facillima fuit atque inter primas reponenda, lactentis enim etatis est, itaque vdam Græci appellarunt.

R iudico postremā in sede recensendam, sed ante duplices tamen; quarum unaqueque eo loco statuetur quo eius origo fuit; vt Ψ prima sit, quia B; at Ζ ultima, quia C; media Z, quia D; Q nouum inuentum Latino-rum aut statim post C, aut omnium ultima collocaretur. N autem post L. Neque verò idem ordo apud omnes nationes esse debet, sed vt cuique frequentior est litera, ita prior alia esse debet. Hæc Scaliger, vt ego quidem iudico, iudicio non malo. Mihi tamen magis artrideret, literas hoc ordine censeri saltem apud Latinos. Primum vocales A, E, I, O, V. Deinde consonantes mutas, quæ ante se cum vocali pronuntiantur, L, M, N, R, S. Deinde quæ pronuntiantur cum vocali post se, vt sunt, B, C, D, G, P, T. Deinde eas quæ nouę quidem sunt, sed non necessariæ, F, H, K, Q. Denique duplices, vt X,

pro

64 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

pro SS, vel pro CS, PS, Y, Z. Videtur enim hic ordo magis esse ex naturâ pronuntiationis; quæ etiam si ad scriptionem non faciat (cùm scriptu literæ omnes sint æquè faciles, licet nonnullæ pronuntiatiū difficiles) tamen dedit originem scriptioni: prius enim pronuntiatæ sunt literæ quæ scriptæ; & earum etiam formæ pronuntiationi accommodatae factæ sunt. Nolim tamen ego iam auctor esse veteris ordinis immutandi: qui id faceret, næ ille pueris Alphabetariis grande adferret negotium. Per me licet ut priscas suas stationes teneant literæ; nisi fortè saltando velint loca sua permutare, quod ingeniosè finxit de literis Sophocles in Amphiarao Satyrico, ut refert libro x. Athenæus.

C A P V T VI.

De figuris literarum.

HE BRAICOS characteres omnes compitos esse ex solâ literâ, Iod variè colligatâ, ingeniosè obseruauit Guilielmus Postellus libro De Phœnicum literis ad Cardinalem Lotharing. verbi gratiâ: Aleph ex quatuor Iodim ita cōn nexis  ; Gimel, ex tribus  ; Vau, ex duobus  ; Mem & Sin, ex quinque   . De Latinis verò non malè Scaliger libro i. De causs. ling. Latin. cap. xxxix. Figura, inquit, literis accidit per lineas: omnis autem linea aut obliqua aut recta est. Literæ autem omnes aut linea aut lineis constant: item aut rectâ, vt I; aut rectis, vt H; aut obliquâ, vt O; aut obliquis, vt Q; aut rectâ & obliquâ, vt P; aut obliquâ 

& rectâ, vt G; aut rectâ & obliquis, vt R, B, K. Hæc diuisio est à substantiâ. Ab accidenti autem talis: Perpendicularis vna, I; due, H; eæq; iugate. Due angulares ad medium perpendicularum, A. Vna perpendicularis cum vnâ iugata, L; cum duabus, F; cum tribus, E. Due perpendicularares, diametro quadrati iugate, N; & iacente situ huic aduersa, Z. Due diametrales, X. Sunt & curuæ inordinatae, S; nam Græca ex æquo respondet sibi, Σ; cui stans aduersatur M.

Item aliter literæ diuidi possunt; in simplices & compositas, quales sunt & F; prior ex u & o; posterior componitur ex F & r.

Figuræ autem sunt apud varias gentes, variæ; de quibus Guilielmus Postellus, Ioannes Baptista Palatinus, Bibliander, & Angelus Roccha de Camerino, Ioannes & Theodorus de Bry.

C A P V T V I I .

De nominibus literarum, & eorum significacione ac causis.

NON opus fuerit Delio aliquo natatore ad diuinandam nominum (quæ literis suis variæ gentes imposuere) originem & causam: constat enim inter omnes, ab Hebraicorum charactерum nominibus, gentium omnium literas esse appellatas, vel ex solâ vocabulorum affinitate.

Pronuntiant Hebræi:

Aleph, Beth, Gimel, Daleth, He, Vau, Zaijn, Cheth, Teth, Iod, Caph, Lamed, Mem, Nun, Samech, Aiin, Pe, Tsade, Coph, Resc, Scin, Tau.

E

Pro-

Pronuntiarunt olim Chaldæi, vt docet Ioannes Potkenius Agrippinas in Psalterio Chaldaico, & Munsterus in Grammaticâ Chaldaicâ; vel, vt alij malunt, Indiæ populi:

Ha, La, Ha, Ma, Sa, Za, Sa, Ka, Ba, Ta, Ha, Na, A, Cha, Vua, A, Za, Ta, Da, Gha, Tha, Pa, Za, Za, Fa, Pa. Sed veriūs Chaldæi sic pronuntiarunt, auctòribus Theodoro & Ioanne de Bry: Elpha, Vath, Gau, Dau, Zau, Vt, Zec, Vu, To, Hit, Caccar, Harar, Lendin, Neta, Pu, Fu, Puso, Sam, An, Sagiuu, Kal, Rab, Siui, Reb, Ten.

Pronuntiant Syri veteres, auctòre Scaligero in Eusebio:

Alpha, Beta, Gamla, Delta, He, Wau, Zeta, Heta, Theta, Iota, Kappa, Lambda, Me, Nun, Simcha, Oe, Phe, Tzode, Kophe, Roe, Scin, Thau.

Syri recentiores, eodem auctore, & aliis:

Olaph, Beth, Gomal, Dolath, He, Wau, Zoe, Heth, Teth, Iud, Chuph, Lomad, Mim, Nun, Semchath, E, Phe, Tzode, Kuph, Resch, Schin, Thau. Aliter verò auctòribus Ioanne & Theodoro Bry: Alyn, Bem, Gem, Dein, Ethimi, Fetin, Gith, Iothin, Kami, Kamin, Latim, Moin, Michoin, Olip, Phifai, Quinin, Rofi, Schith, Thoth, Vi, Xit, Yn, Ziph.

Arabes, Turcæ, & Persæ:

Aliph, Be, Te, The, Gim, Hha, Cha, Dal, Dhal, Re, Zain, Sin, Scin, Sad, Dhad, Ta, Thda, Ain, Ghain, Phe, Caph, Kaph, Lam, Mim, Nun, He, Faff, Ie, Lam-aliph:

Phœ-

Phœnices, Samaritani, Iones, & Græci:

Alpha, Beta, Gamma, Delta, Epsilon, Zeta, Eta,
Vita, Zita, Ita,
Theta, Iota, Kappa, Lamda, My, Ny, Xi,
Thita, Omicron, Pi, Rho, Sigma, Tau, Ypsilon, Phi,
Chi, Psi, O mega.

Ægyptij, auctoribus Theodoro & Ioanne
Israële de Bry:

Athomus, Biuithyn, Chinoth, Dinaim, Eni, Fin,
Gomor, Heletha, Ioquum, Kayta, Luzamin, Mi-
the, Nayn, Obelat, Pilon, Quin, Iron, Sichen,
Tela, Vt, Xiron, Ipph, Zaim, Thou.

Æthiopes, iisdem auctoribus:

Alph, Beth, Geml, Dent, Hoi, Vaue, Zaj, Haut,
Harm, Thait, Iaman, Caph, Laui, Maj, Nahas,
Saut, Hain, Pais, Aph, Psa, Zadai, Zxappa,
Kaph, Res, Saat, Tauj.

Iacobitani, iisdem auctoribus:

Alpha, Veda, Gamma, Delda, E, Tzo, Zieda,
Eta, Theta, Ioda, Cabba, Lambda, My, Ny, Exi,
O, Pbi, Rou, Sigma, Ta, Ye, Fi, Chi, Ebsi,
O mega, Scei, Vei, Hach, Hori, Sima, Ti.

Latini, Hispani, Galli, Itali, Germani,
Angli, Belgæ, &c.

A, Be, Ce, De, E, eF, Ge, Ha, I, Ka, eL, eM,
eN, O, Pe, Qu, eR, eS, Te, V, iX.

Illyrij, vt est in Bibliothecâ Vaticanâ:

As, Buck, Viede, Glagolic, Dobro, Iest, Sgiuiete,
E 2 Sielo,

68 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

Sielo, Semglie, Isge, I, Iu, Kako, Liude, Mislete, Nasf, On, Pokoi, Erzi, Slouo, Turde, V^k, Hir, Fi, Zi, Ciaru, Od, Scai, Sctai, Ier, lat, Iust, Ieriest.

Armeni in Bibliothecâ Vaticanâ:

Aip, Pien, Chiim, Da, Iec, Za, Ae, Iet, Tho,
Bien, Giem, Ta,

Ge, Zza, Chien, Tza,
Ze, Inni, Liun, Hhe, Dha, Gien, Ho, Ssa,
Xe, Tza, Kien, Xa,
Quien,

Chat, Ie, Scha, Zca,
Glal, Hie, Mien, Chi, Nu, Sa, Vua, Zia,
Gal, Gie,
Be, Zche, Rha, Se, Vieu, Dun, Re, Zzo,
Pe, Sche, Rra,
Yun, Aipiun.

Sclaui, auctoribus Ioanne &

Theodoro de Bry:

Ac, Buc, Cothno, Dobro, Feiu, Gaglofe, Hy,
Ilsouo, Iesti, Misalre, Nam, On, Pochi, Teurus,
Reti, Sier, Te, Vlo, Xnie.

Saraceni, auctoribus Ioanne &

Theodoro de Bry:

Alemonxi, Bendi, Cati, Delphin, Ephot, Foithi,
Gaipo, Hethini, Ioithi, Karthi, Lechimi, Melatil, Nabelot, Oithi, Corizeth, Inthoath, Rati,
Salaty, Tothin, Azothoth, Hirconi, Aronithi,
Zozim.

Moscouitæ, auctoribus Ioanne &

Theodoro de Bry:

As, Buki, Vide, Glahol, Dobre, Iest, Selo,
Ziemla, I, Y, Ie, Kako, Lude, Milliti, Nas,
On,



On, Pokoy, Rezi, Szlouo, Tuuerdo, V^k, Pher,
Her, Or, Cha, Cza, Tza, Scha.

Porrò ut ad significationem veniam:

B, Beth, id est domus, ab imitatione. Cheuale-rus, Caninius, Bellarminus. Gręci, Βῆτα; Latini, priore tantum syllabâ, Be. Hinc Ausonius:

Dividuum Beta; monosyllabon Italicum B.

Sunt qui eius sonum ab ouium balatu docent acceptum. vnde Cratini versus est in Διορυταὶ Ἀγέρδηστοι:

Stolidus tamquam ouis, bebe dicens ambulat.

¶, Gimel quasi Gamal, id est Camelus, à gibbo, inquiunt Cheualerus, Caninius, Bellarminus. Græci Γάμμα ἁρπά, τὸ αὐτὸν, à metendo, quod similis sit falci. Latini Ge. apud quos noua hæc litera, Sp. Carbilij commento; antè enim pro eâ vtebantur C, vt Caius, Cneius, pro Gaio, Gneio. Ausonius:

Praevaluit postquam Gamma vice functa prius C.
nec aliâ fuit opus mutatione, quâm rectum pe-
dunculum adicere hemicyclo G, que figura Gre-

cis pridem nota non quidem inter literas, sed inter numerorū formas, auctore Mario Victorino; qui ait, Latinorum G esse idem quod Græcorum epsilon. de quo Beda egregiè lib. De indigitatione: *Græci*, inquit, *tres numeros, notis propriis quæ ex Alphabeto non sunt, depingunt*. Prima est **Ϛ**, not numeri V I. Altera **Ϛ**, quæ vocatur *Cophe*, & valet inter numeros X C. Tertia est **Ϟ** *enneacofia*; quæ valet D C C C C.

Ϻ, Daleth, quasi Deleth, id est porta, à similitudine. Cheualerus, Caninius, Bellarminus. Græci, Δέλτη; Latini D. Hinc Ausonius malè, vt obseruat Scaliger:

Non formam, at nomen Delta gerò Romuleum D. Romuleum enim D, est verum & vetus Delta Iōnicum, non verò Δ, Græcorum.

ϻ, He, nomen à sono fictum, inquit Bellarminus. Caninius verem punici interpretatur. Latini Ha. Ausonius:

Spiritus hic flatus tenuissima viuificans H.

ϻ, Vau, id est vncinus, à formâ. pro hac vnâ, duabus vtuntur Græci, Φ & Β; Latini eF, vel V consonante. Arabes pronuntiant Vau vel Gau.

ϻ, Zaijn, quasi Zen, id est arma; exprimit enim clauam. Zeta apud Græcos & Latinos. pro quo hi antiquitus vtebantur G. Marcianus: *retum dicebant quem nunc Zetum*. vocata est apud Marcianum Capellam Sepulchralis litera, quod morientium dentes ita distringantur in modum Z. De hac facetus ludus est Bauhusij nostri, vt sunt argutissima eius omnia Epigrammata:

O ZETA felix! ô beata littera!

Quæ dulce, croceum, mite, floreum, vernum,
Blan-

ET REI LITERARIAE ANTIQVIT. 71

Blandumq; Zephyri blanda nomen inchoas!
Sed nec beata es tota, tota nec felix;
Nam triste & horridum, & pice nigrius nigra,
Fimoq; olentium olentius capellarum,
Etiam scelesti, ZETA, scribis Zoili
Misella nomen. mitte ZETA, vah, mitte
Ferale nomen: quid tibi cum Zoilo?
Nam voce in ista litera innocens nulla est;
Tu nomen orbis optimum, tu pessimum
Eadem figures? non feremus hoc vates;
Numquam feremus. Sit supremum hoc: Zoilum
Aut mitte ZETA, aut te vocabimus THETA.

¶, Cheth, à sono inquit Bellarminus. Caninius quadrupedem interpretatur. Chi Græcis. Aufonius:

In Latio numerus denarius, Argolicum X.

Ϙ, Teth, à sono, ait Bellarminus. Caninius in uolucrum vocat. Tau Græcis & Theta: Latinis Te. De vtroque Aufonius:

Malus ut antennam fert vertice; sic ego sum T.

Ansis cincta duabus erit cùm Iota, leges Θ.

ϙ, Iod, manus, inquit Caninius. sed Bellarminus & Cheualerus quasi Iad, hoc est spatium, quod ob exilitatem suam vacuum relinquuit. Græcis Iota, Latinis I. Aufonius:

Litera sum Iotæ similis, vox plena iubens I.

Quò egregiè allusit Epigrammatophorus noster, quem Italis etiam audio esse admirationi:

Hunc esse verè Iesuitam dixeris,
Quem per rubentem & Sole & auro Peruam,
Criþum per Afrum, perq; Memnonias domos,
Et horridam Arcton, vna mittit litera.

Ϙ, Caph, palmam interpretatur Caninius. Bel-

E 4 larmi-



Iarminus à Caphaph, incuruare. est enim tota curua. Græci K & X; Latini C : nam & Latinum C, olim sic pingebatur C. vnde apparet fluxisse à Græco K; recto tantum pede amputato; vt notat Iulius Scaliger, & Ausonius confirmat:

Cappa fuit primūm Bœotia; nunc Latium K.

¶, Lamed, à Malmad, id est stimulo, seu veru. Græci Lambda. Latini eL.

¶, Mem, macula Caninio; vel, vt Bellarminus, à sono, vt in aliis linguis. My Græci, Latini eM vocant. Ausonius:

Vocibus in Graiis numquam ultima conficiar M.

¶, Nun, pisces interpretatur Caninius; Bellarminus à sono format. Græci Ny, Latini eN. Ausonius:

Zeta iacens si surgat, erit nota quæ legitur N.

¶, Samech, basis, inquit Caninius. continuatum & in se ductum, ait Bellarminus. Græci Sigma; olim San, donec non admissum: Latini eS. à vetustissimâ autem Sigmatis figurâ, quæ talis erat, C, stibadium seu mensula vocata est Sigma. Martialis:

Accipe lunatâ scriptum testudine Sigma.

Item alibi:

Septem Sigma capit. sex sumus, adde lupum.

¶, Aijn, fons Caninio; Bellarmino interprete, oculus. aspiratio est solis Hebræis nota. Arabes pronuntiant Hain & Gain.

¶, Pe, os seu vultus. Græcis Pi, Latinis Pe, Ausonius:

Hostilis quæ forma iugi est, hanc efficiet II.

Scribit Halicarnasseus, veteres diu pro II usos esse Δ.

¶, Tla-

ꝝ, Tsade, venabulum seu hamus. propria Hebrewis litera. Arabibus Tzad & Thad.

ꝝ, Coph, à Cuph circulo. vel, vt Caninius vult, significat simium. Græci K, Latini C, & Q: quæ ultima ex semicirculo literæ C concreuit in circulum, caudâ appensâ, hoc modo, Q, ad distinctionem literæ O, vt Scaliger adnotauit: eius autem loco primùm vtebantur C, teste Ausonio:

*Praeualuit postquam Gamma vice functa prius C,
Atque alium pro se titulum replicata dedit Q.*

quamquam & apud Græcos hæc figura erat episemon, seu numeri nota, valens nonaginta, vt scribit Marius Victorinus: *Nec Q inuenit Latinus sermo; sed apud Græcos fuisse, cognoscere potestis, si Pontificum libros legeritis; & seruire numero, & significare non aginta.*

ꝝ, Resc, quasi Ros, id est caput. Græci Rho; Latini eR. Ausonius:

*Ausonium si Pe scribas, ero Cecropium P,
Et Rho quod Græco, mutabitur in Latium P.*

Caninam literam vocat Persius:

— Sonat hic de nare canina

Litera.

Lucilium credo imitatus illo versu:

Irritata canes quod R R quamplurima dicat.

non scriptu, sed pronūtiatu difficultis litera, quam Demosthenes didicisse fertur, catellam irritando. Est scrupus insignis apud Epigrammatographum nostrum Bauhusium de tribus hisce eiusdem literæ nominibus ER, RO, RES:

*Sesquipedalis sum, Iudaica, Graia, Latina,
Inq[ui] pedis medio pars mihi pulchra rosæ est.*

74 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

Tres habeo dentes, Graium vnum, vnumq; Latinū,
Tertius Hebrai de canis ore venit.

Si me non dicas, dicas. si dixeris, erras:

Cuncta Deus faciat, quæ queat; ista nequit.

¶, Scin, quasi Scen, id est dens, à formâ; propria Hebræis litera. Arabes dicunt SSin.

ג, Tau, signum sive terminus; quia claudit Alphabetum, sicut Aleph inchoat. Græci Tau, Latini Te. Harum porrò literarum significations, alias longè adfert Eusebius lib. ix. & x. De prepar. Euang. & ex eo D. Hieronymus Commetariis ad Threnos, & Epistolâ ad Paulam; quos aberrasse quidem, demonstrat egregiè Goropius Hieroglyph. lib. i. sed ipse multò certè miserrilius lapsus, cùm totius Alphabeti Hebraici literis omnibus, miram quamdam orationem ad Spiritum sanctum docet contineri; secutus, ut opinor, Martini Gilberti commentum, qui Hebraicum Alphabetum in septem sententias literis Hebraicis significatas dispertit; de quibus nihil habeo dicere simplicius, quām quod

Turpe est difficiles habere nugas.

Sed vt ad priorem literarum significationem reuertar; mirari satis non possum causas, vt mihi quidem videre videor, ita longè quæsitas. verbi gratiâ, ב Beth significare domum. Quæ enim similitudo illius figuræ cum domo? ג Gimel, significare camelum, cùm sit similior musco? ד Daleth, portam potius significare quām vncū? ט Tsade, venabulum potius quām trullam? Et cur, oro, literæ his nominibus appellatae sunt, vt faciamus eas rebus dictis esse similes. Quid scriptio cum domo, camelo, portâ, venabulo, &c.

Fateor



Fateor mihi h̄c aquam h̄erere ; nec legere memini v̄spiam , quā caussā inditæ literis fuerint h̄æ appellationes.

Iam de vocalibus obiter dicendum. Veteres Hebræi , inquit Bellarminus cap. 11. quòd propriè vocales non haberent , vtebantur earum loco quatuor consonantibus , Aleph , He , Vau , Iod. Per Aleph & He exprimebant A ; per Vau , O & V. Per Iod , E & I. Praeter quas , Græci habuerunt E longum , seu H , & Ω , & ρ .

E , ε'ληδη , olim scribebatur hoc modo Ē , inquit Iosephus Scaliger ad Eusebium. tribus autem obelis iugulatur , medio , summo , & imo ; vt distinguatur à F spiritu , à Γ , γάμμα , à L , Lambda , à E , C vetere. ita Scaliger Iulius lib. 1. De ling. Lat. cap. x l. Ausonius :

Praefto quod E Latium semper breue Dorica vox E.

H , Ητα apud Iones erat nota spiritus , sicut hodieque apud Latinos. D. Hieronymus libro De nominibus Hebraicis vocat eam extensam vocalēm ; hoc est ἀντίστοιχον τῷ Ἑ. Sic Ausonius :

Hta quod Aeolidum , quodq; E valet , hoc Latiale E.

O μηρὸν , figuram habet ab oris rotunditate quā os componimus dum O pronuntiamus. Olim autem pronuntiabatur planè vt ε , Ausonio teste :

Vna fuit quondam quā respondere Lacones

Litera , & irato Regi placuere negantes.

* autem pōst scribi cœptum est pro O. Ausonius :

Hoc tereti arguto q; sono negat Attica gens , ε.

quam literam , quia Philoxenus rescripsit Dionysio se reuocanti , vocariunt φιλοξένειον γεάμμα .

Ω μέγα opponitur Ο μηρός . Ausonius :

Et supremā notis adscribitur Argolicis Ω.

His

76 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

His ambobus responderet O Latinorum. Ausonius:

*Ω quod & ογ Græcum, compensat Romula vox O.
Υψιλον. Pythagoræ biuum dicta, à ramosis bra-
chiis. Ausonius:*

Pythagoræ biuum ramis pateo ambiguis Y.

V, Latinis propria litera ; ut Ausonius notauit:

Cecropiis ignota notis ferale sonans V.

Dc hac Priscianus : V loco consonantis posita, eamdem prorsus in omnibus vim habuit apud Latinos quam apud Aeoles Digamma F.

CAPVT VIII.

*De quadruplici scribendi modo. Primo, à dex-
trâ ad lœuam in latum. Secundo, à lœuâ ad
dextram in latum. Tertio, à lœuâ ad dex-
tram, & rursus contrâ per versus. Quar-
to, à summo sinistro latere chartæ in imum
versus dextram sine regressu.*

In planâ tabellâ aut chartâ per lineas rectas, modi scribendi singi possunt omnino viginti-quatuer: octo in latum, octo in longum, octo in diametrum.

Primus, à summo dextro ad lœuum in latum, qui est vetus Hebræorum. Secundus, à lauo summo ad dextrum in latum, qui iam est ferè omnium, præterquam Hebræorum & Sinensium. Tertius, ex vtroque mistus, sed à lœuâ incipiendo; qui fuit recentior Hebræorum, & antiquus Græcorum ac Latinorum. Quartus, ex vtroque item mistus, sed à dextrâ incipiendo. Quintus, ab imo dextro ad lœuum, in latum. Sextus, ab imo

imo sinistro ad dextrum in latum. Septimus, ex utroque mistus, sed à lauâ incipiendo. Octauus, ex utroque item mistus, sed à dextrâ inchoando. Nonus, à summo latere dextro in imum : Decimus, à summo sinistro in imum ; sed hi ambo lineis perpendicularibus ; qui postremus est Indorum, Sinarum, & Æthiopum. Undecimus, à summo latere dextro in imum, & rursus ab imo ad summum. Duodecimus, à summo sinistro latere in imum, & rursus ab imo in summum versus, qui est Gothorum. Decimus tertius, ab imo dextro ad summum: Decimus quartus, ab imo sinistro ad summum ; & hi ambo per lineas perpendiculares. Decimus quintus, ab imo dextro in summum, & rursus à summo in imum per versus. Decimus sextus, ab imo sinistro in summum, & rursus à summo in imum per versus. Decimus septimus, ab angulo dextro summo in imum sinistrum, linea diametrali. Decimus octauus, ab angulo summo sinistro in imum dextrum, linea item diametrali. Decimus nonus, ab angulo dextro in imum, & ab imo in summum rursus per versus. Vigesimus, ab angulo sinistro in imum, & rursus ab imo in summum. Vigesimus primus, ab imo angulo dextro in summum sinistrum, linea diametrali. Vigesimus secundus, ab imo angulo leuo in summum dextrum, linea diametrali. Vigesimus tertius, ab imo dextro in summum sinistrum, & rursus à sinistro diametraliter in summum dextrum. Vigesimus quartus, ab imo sinistro in summum dextrum, & à dextro rursus in imum sinistrum diametraliter.

Ex his viginti quatuor reperio quatuor tantum
fuisse

78 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

fuisse usurpatos ; primum, secundum, tertium, & decimum : & sunt sanè inter hos etiam modos aliqui valde incommodi, ut mirer vel quatuor diuersos potuisse placere gentibus diuersis.

Primus omnium & antiquissimus est, Hebreorum vetus à dextrâ ad leuam lineâ rectâ in latum. horum enim cùm primæ sint literæ, oportet & scribendi modum esse primum : quod è facilius credendum est, quòd modus ille incommodior atque imperfectior est; & prima quaæque solent esse incultissima maximeque rudia. Etiam si enim Hebreorum Rabbini glorientur, se imitari cælorum motum scribendo à dextro in sinistrum ; non tamen eâ gratiâ efficient, modum illum scriptionis esse laudandum ; quando & ita literæ scriptæ ciamo ac manu leguntur, quæ nobis ob oculos contemplandæ relinquuntur, cùm à lævo ordinem scriptionem ; & omnium animantium item primus ac naturalis motus extrorsum explicatur, & cetera opera quoque extento brachio, non retracto inchoantur ; quando denique Hebrai ipsi singulas literas inter scribendum inchoant à late re lævo in dextrum , etiamsi adiunctionem literarum ad literas ducant à dextro in sinistrū, ut acutè obseruarunt Angelus Roccha in Biblioth. Vatic. & Iul. Scaliger li. 1. De causs. ling. Lat. c. XLVI. qui tamen illud suopte ingenio ridiculè affingit Hebreis, èo ita eos scribere cœpisse, quòd prius texturam inuenerint quàm scripturam : textores vero primum tramè filum introrsum iacant, coacti, nō naturâ; quoniam dextrâ manu cùm incipiunt, & sinistræ operam vicissim petunt, sic motus fuit auspicandus. Cedò enim Scaliger, si coacti ita tra-

tramam iaciunt, quia sinistrâ eam reiaculari debent, cur quando sinistrâ ad scribendum opus non est, manum liberè non explicant extorsum à lœvo in dextrum? Insignis etiam hac in re est Goropij fabella, qui libro tertio extremo Hieroglyphicô, ait, à Cadmo Hébræos ita primùm doctos esse præpostorè scribere, eâ caussâ, ut discent aliquando hac suâ scribendi incommodissimâ ratione, Cimbros (à quibus literas nempe acceperant) in literarum quoque scribendarum modo esse imitandos. Egregiam, ita me Deus amet, diuinationem!

Nec pueri credent, nisi qui nondum assē lauantur.
Porrò hanc scribendi rationem Ægyptij ab Hébræis accepere, vt Herodotus testatur lib. II.

Hebræorum modo veteri proximè, nisi fallor, successit modus quem suprà numerauimus tertium: is nempe qui à lœuā in dextram, & rursus à dextrâ in lœuam tendit per versus; quem Nauclerus volumine primo, generatione LIV. scribit Hebræis traditum esse ab Esdrâ scribâ, quem Græci, auctore Pausaniâ libro v. vocarunt *βεσποφόδον*, eâ re, quod boues inter arandum ab extremo sulco conuentantur in proximum ab eodem latere: atque hinc, vt id credam, etiam vehementius adducor, quod Cadmo literarum apud Græcos inuentori, dum Bœotiam conderet, bos occurrerit, quem Græci *Ἄλφα* appellant, à quo primæ literæ nomen *Ἄλφα* imposuit: ergo & à boum in arando more morem induxerit scriptoris, quæ stylo velut aratro siebat in cerâ: hic autem modus à Græcis deinde venerit ad priscos Latinos; de quibus ita Isidorus libro VI. cap. XIV.

Versus

80 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

Versus vulgo vocati sunt: quia sic scribebant antiqui sicut aratur terra; à sinistrâ enim ad dextram primum deducebant stylum, deinde conuertebantur ab inferiore, & rursus ad dextram versus; quos & hodie rustici versus vocant.

Tertius scribendi modus est à lxxâ in dextram, sine retrogressione ad laeuam. Hic iam communis est plurimarum gentium, quia commodissimus & decentissimus: cùm enim omnem literarum, etiam apud Hebræos, virgulæ ita inchoentur, decet totam scriptiōnem ita perfici, vt eadem sit ratio totius & partium.

Quartus scribendi modus est Syrorum, Indorum, Æthiopum, & Sinensium. De Syris Andreas Masius in Grammat. Syriacâ: *Syri non à dextrâ ad sinistram versus ducunt manum, vt Iudæi faciunt, cùm scribunt: sed eam ex aduerso positam reducunt sensim ad se per chartam transuerso situ collocatam; propterea quod sic commodiùs aptiusq; ipsorum literæ formantur; ceteroqui legendi ratio prorsus eadem est quam Hebræi tenent.* Igitur Syri lectionem incipiunt à literâ quæ in scriptione erat summa; eamque faciunt esse in latere dextro, vertendo chartam dum legunt. De Indis ita Poggii lib. iv. De fortunæ varietate: *Scribunt Indi, non vt nos aut Hebræi, in latus dextrum aut sinistrum, sed à summo ad imum ducentes calatum, lineâ nempe perpendiculari. Non explicat Poggii in quod latus faciant linearum ad lineas adiunctionem; at certum quod versus dextrum: nam id de Sinibus aperte scribit Nicolaus Trigaultius Belga è Societate nostrâ, Sinicæ Expedition. lib. i. cap. v. Sinica scriptioñis situs, inquit, è diametro nostra aduersarius*

ET REI LITERARIAE ANTIQVIT. 91

sarius est; nam ad dextram à summo in inum discunt manum, nos à sinistrâ ad dextram in latum. progredimur. Denique de Æthiopibus circa Meridionales insulas narrat Diodorus Siculus libro 111. cap. xiiii: Non scribunt per latus, ut nos, sed à superiori parte linea recta ad inferiorem. Hunc scribendi modum Græci appellant Tæpocon, auctore Festo: *Tæpocon*; inquit, *Græci soliti sunt appellare genus scribendi deorsum versus, vt nunc dextrorsum scribimus.* Sed quid verbi sit Tæpocōn, non miror vel à doctioribus ignorari, & præteriri à Tiracollo in Notis Alexandri Neapolitan. lib. 11. cap. xxx. quando ita variè legitur in diuersis exemplis apud Festum, vt monet Dionysius Gothofredus: Tahlenpocon, Temperon, Tempcon, Taempoton, Tampercon, Taencopon, Taenpton. Quis nō rideat hæc monstra verborū?

Quintus scribendi modus falsò tribuitur Gothis à Theodoro Zvvingero lib. 1. volum. iv. vbi sic scribit ex Olao Magno: *Secundum longitudinem à summo ad inum, & hinc rursus ascendendo, veluti per spiras (quales sol annuo motu per Zodiacum facere dicitur) scripsierunt Goths veteres in saxis vetustissimis, quæ etiamnum extent.* Sed nusquam hoc scribit Olaus. Sunt enim tantum hæc eius verba lib. 1. cap. xxxv i. ex Ioannis Magni De Gothis lib. primo cap. vii. *Longè ante inuentas literas Latinas, Aquilonaria regna suas literas habuerunt. cuius rei indicium præstant eximæ magnitudinis saxa, veterum bustis ac specubus apud Gothos affixa.* His itaque (vt in historiâ charissimi fratris mei Ioannis Magni antecessori Archiepiscopi Vpsalensis libro 1. cap. 7. habetur) apicibus res gestas lapidibus imprimentes, sempiterna memoria tradiderunt. Ioannes

F

verò



82 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

verò Magnus tantùm hæc amplius addit : *Hac*
saxa literarum formis inscripta, persuadere possint, quod
ante vniuersale diluuium, vel paullò post ibi erecta fuissent. neque toto reliquo opere de Gothis, men-
tionem facit literarum. Certissimò autem lapsum
esse Zvingerum ostendit Bonaventura Vulcanius
libello De literis Getarum seu Gothorum , vbi
omnes eorum inscriptiones scriptæ sunt à lœuā
ad dextram in latum, more nostro vulgari; nulla
omnino à summo in imum per versus. Quam-
quam non miror hīc hallucinatum esse Zvinge-
rum , qui eodem loco grauissimè etiam aberra-
uit in voce Tæpocon, afferens eum esse modum
quo Hebrei scribunt à dextrâ ad lœuam.

Tabulam hīc appendo, quò facilius varie illæ
scribendi rationes capiantur.



A SVMMO SINISTRO AD DEXTRVM IN LATVM.

А. ГУСЕВЪ МУЖЕСТВОМЪ СДАЛЪ ОХОТУ.

A SVMMO SINISTRO AD DEXTROW ET PER REGRE

VIGINTI QVATVOR
SCRIBENDI
MODI.

The image shows a page from a medieval manuscript. The text is arranged in several rectangular boxes of varying sizes, some tilted diagonally. The content consists of Latin words and names, such as "VIGINTI QVATVOR SCRIBENDI MODI.", "AB IMO DEXTRO AD DEXTRVM IN LATVM.", "AB IMO SINISTRO AD DEXTRO PER REGRES-", and "AB IMO DEXTRO AD SINISTRUM IN LATVM.". The script is in a Gothic hand, and the parchment appears aged and slightly yellowed.

C A P V T I X.

Quibus instrumentis scriptum.

Vires quæque simpliciores ac rudiores sunt, ita paucioribus egent adminiculis ad sui constructionem. Igitur cum recens nata atque adhuc impolita erat scriptio, duabus omnino rebus perficiebatur; stylo seu instrumento quo scribebatur, & materiam in qua scribebatur. At mox, ubi poliri excolique ea ars cœpit, cœpit etiam præter stylum & materiam in qua, egere materiam ex qua literæ scilicet fingerentur; de quibus singulis tractatio instituenda proximis tribus capitibus.

Instrumentum quo primùm scriptæ fuere literæ, fuit *stylus ferreus*. Ducem habeo rationem; quia primæ Hebræorum literæ saxis & laterculis incise, ut monstrauimus ex Iosepho Iudæo; igitur ferreo stylo. Ligno enim, aut saxo, aut osse, aut re aliâ, quâ poterat? Ferreum autem hunc stylum vulgata lectio cap. x i x. Iob vocat Caltem: *Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, aut plumbi laminâ, vel calte sculptantur in silice.* Quam lectionem vindicat Pater noster Molina in primâ parte D. Thomæ q. 26. art. 1. disp. secundâ, contra Titelmannum, & Biblia Regia, ubi pro calte, scribitur certè. Est enim cætes, ut ipse ex Lexicis & Orthographiâ Manutij docet, ferrum sculptorium; sic dictum à cælo, vel antiquo verbo cællo, quod significat cedo. quem locum nullus, quod sciam, accuratius expli-

explicauit; nam & Pinæda noster silentio præterit, cùm tamen retineat priscam cum Molinā lectionem. Styli forma huiusmodi fuit, vt altera eius pars ad scribendum esset acuta, altera ad delendum obtusa. Expressit eam egregiè Prudentius Hymno ix. de S. Cassiano Martyre:

Inde alijs stimulos & acumina ferrea vibrant,

Quā parte aratis cera sulcis scribitur;

Et quā secti apices abolentur, & æquoris hirti,

Rursus nitescens inuenitur area.

Ego verò vt clariùs eam exprimam, hîc eius imaginem subiicio, quam incidi curauit ad exemplum styli veteris, quem mihi Bruxellis ostendit Cl. D. Hopperus.



Stylus æreus est, instar ligunculi, incuruâ pallâ, vt nempe imposito indice, firmius ceræ sulci complanentur; caudâ seu cuspipe inter reliquos digitos inclusâ, quare qui hunc stylum verterit ad inducendas literas, non eo vtetur planè erecto, sed obliquato; omnino sicut paruo ligunculo, non sicut typo epistolari quo lignantur epistolæ. cuspis quadrilatera est, latior tamen quâm densior. Latera autem seu potiùs anguli laterum, sunt limâ rasi. Id factum opinor vt stylus certius teneatur, & non fallat manum.

Confirmat ferri usum de postera ætate Isidorus lib. vi. cap. ix. Graci, inquit, & Tufci primū ferro in ceris scripserunt.

Successit ferro stylus osseus. Tit. Quintil. Atta in Satyrâ: *Vertamus vomerem in ceram, mucro-*

neq; aremus osseō. Iusserunt enim Romani ne graphium ferreum esset: vnde & apud sribas dicebatur, *Ceram ferro ne cedito*; ait ibidem Isidorus. sed non fuit perlata ea Lex, aut certe abrogata est: nam de ferreis cultellis suo adhuc æuo Martialis scribit lib. xv. Epigr. xxii.

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro:

Si puerो dones, non leue munus erit.

vbi graphiaria, thecæ seu vaginæ sunt ipsius graphij, vt notat Raderus noster; non ipsi styli ferrei, quod volunt Beroaldus & Domitius. Porro styli ossei meminit præterea Laërtius, qui refert Cleanthem solitum osseo stylo in tegulâ excipere documenta Zenonis.

Saxeō stylo vtuntur vulgò Arithmeticci, dum in lamellâ saxeâ, seu scindulâ, numerorum zifras sculpunt.

Adamantinâ cuspidē vitra inscribuntur.

Carneo stylo, hoc est dígito suo, Christus paumentum inscrípsit: Ioan. cap. viii. & quisquis ille fuit, qui Baltassari epulanti mortis sententiam dígito scribebat in muro, Mane, Thecel, Phares: cap. v. Danielis.

Narratum mihi est à Sacerdote quodam nostro, cuius in iuuando hoc opere studium sensi omnino singulare, captiuum quemdam, cui vngues in longo carceris pædore excreuerant, vngue suo in cuspidem aptato, & in crenam fisso, atramentoque ex saliuâ aut vrinâ & carbone temperato, epistolam scripsisse ad suos. id quod ipse à viris hinc dignissimis accepisse se mihi affirmauit.

Horum omnium ferè usus exoleuit, postquam inuetus est calamus, penna, & penicillus; de quorum

rum origine nihil constat certius, quām quòd recentior sit inuentione chartæ & membranæ: neque enim pennâ, quæ caua est; neque calamo, qui pulposam medullam habet, scitè arari potest cera; aut vlo modo celari possunt tabellæ aut saxa: deinde pennæ & calami nisi coloribus intincti, non valent ad scriptionem, vt *Quintilianus* li. x. cap. 111. in ceris autem, & saxis, & tabellis, sufficiebat incisio sine affusione coloris, quæ necessaria tamen ad inscribendam chartam aut membranam. Est hęc de earumdem rerum origine sententia *Opmerij* initio *Chronicō*; vbi sic loquitur: *In pugillares scribebant stylis ferreis: in papyros autem arundineis calamis, & postmodum etiam avium pennis.* & *Petri Gregorij lib. xv. De repub. cap. 111. Calamo,* inquit, *scriptum in chartis, Martiale teste:*

Dat chartis habiles calamos, &c.

Iam de singulis adfero aliquot auctoritates.

De Calamo. David Psalmo XLIV. *Lingua mea calamus scribæ.* vbi Aquila vertit, *Iuncus scribæ*, quod idem est; sunt enim calamii, iunci seu arundines quædam aquaticæ; quæ copiosissimè prope Memphis, Gnidum, & ad Nilum crescunt(unde Orus Apollo scribit, literas fuisse ab Ægyptiis significatas per cynocephalum apposito atramento & iunco; quòd iunco scriberetur, & cynocephalus facile scriptionem disceret, sicut Ælianus ait, elephantos fuisse qui nossent scribere.) & Plinius lib. xvi. cap. xxxvii. *Calami*, inquit, *Aegyptiū maximè & Gnidiū chartis seruiunt.* & *Martialis lib. xiv. Epigr. xxxviii.*

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus.

Vocatur autem *Niloticus calamus* ab Apuleio initio

lib. i. De Asin. *Chartarius*, initio lib. ii. Florid. sicut & à Celso *Scriptorius*, lib. v. cap. xxviii. ab Ausonio *Fisipes* argutè, propter crenam cuspidi incisam. Passim verò apud Poëtas pro calamo inuenies *arundinem*. vt apud Persium; quem solum adfero, quia solus elegantissimè calamū descripsit:

Inq₃ manus chartæ, nodosaq₃ venit arundo.

*Tum querimur crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanefcat sepia lymphā:*

Dilutas querimur geminet quod fistula guttas.

De Pennā. Iuuenalis :

— *præcipiti venisset epistola pennā.*

quamquam sunt qui hoc interpretentur, non de stylo graphiario, sed de columbā, seu alio quo-uis alite vectore literarum.

De Penicillo. Scribit P. Nicolaus Trigaultius Expedit. Sinicæ lib. i. cap. iv. *Sinæ, penicillo è pilis leporinis (quo ad scribendum vtuntur) atramentum excipiant.* Apud nos verò nullo alio ad scribendum instrumento, quam penicillo, vtuntur pictores.

Præter hæc instrumenta, quæ vicem obeunt solius styli, sunt quedam etiam subinde usurpata, quæ faciunt pro stylo & simul pro materiâ ex quâ literæ fiunt. Huiusmodi sunt, rubrica, creta, carbo, plumbum; quæ etiam priscè fuisse consuetudinis, vt patet ex Persio de Rubricâ:

— *Oculo rubricam dirigit vno.
ex eodem, de Cretâ:*

*Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.
mancipiorum enim venalium pedes cretâ inscri-
bebantur, vt auctor est Plinius, & Propertius.
Asiaticam verò cretam vocat Cicero oratione
pro Flacco, eam quâ Publicani vtebantur, for-
tè ad*

ET REI LITERARIÆ ANTIQVIT. 89
tè ad signandas merces quæ soluto portorio ex-
portabantur.

De Carbone, Plautus in Mercatore:

Impleantur meæ fores elogiorum carbonibus.

De Plumbo Catullus:

Membrana directa plumbo.

Imò fullatis præterea coloribus scribere solitos Brachma-
nes in sindonibus, narrat Neapolitanus Alexander
lib. ii. cap. xxx.

C A P V T X.

De materia in quâ scriptum antiquissimè.

PRIMA materia in quâ exceptæ literæ, fuere
saxa & lateres. ita enim de primâ scriptione
Iosephus lib. i. Antiquitatum cap. iv. Seth imita-
tores sui filios habuit, &c. qui facientes columnas duas;
alteram ex lateribus, alteram ex lapidibus; in ambabus
quæ inuenierant, conscripserunt. vt, si constructa lateri-
bus exterminaretur ab imbris, lapidea permanens præ-
beret hominibus scripta cognoscere. Hic mos deinde
venit ad Babylonios & Phœnices; quorum illi,
auctore Plinio lib. vii. cap. lvi. coctilibus lateri-
culis mores, leges, & instituta conscripta tradi-
derunt; hi verò lapidibus. Romani, ceteræque
gentes ferè omnes, eundem morem sunt amplexi;
vnde tot passim visuntur antiqua marmora, cippi,
& stelæ, literis inscripta, ad memoriam æternam
rerum gestarum, vt Horatius lib. iv. Od. viii.

— *incisa notis marmora publicis.*

Et Danos solitos inscribere cautibus maiorum
suorum gesta scribit Saxo Grammaticus in Præ-
fat. Historiæ Danicæ.

90 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

Folia arborum, proximè, vt opinor, successêre lapidibus. à quibus nos hodieque membranas & chartas folia (Græci φύλλα) appellamus. Plinius testatur lib. xiiii. cap. ii. in palmarum foliis fuisse primò scriptitatum; apud Ægyptios nempe, de quibus eo loco loquitur, non apud Hebræos. Henricus Salmuth in Notis Pancirolli, auctoritate Guilandini ductus, legit maluarum pro palmarum. Sed Isidorus apertè lib. vi. cap. xii. affirmat scribi solitum in maluarum foliis atque palmarum. quam lectionem asserit quoque Scaliger libello contra Guilandinū. Et cur, oro, non æquè in foliis palmæ ac maluæ? Certè affirmat id Oforius lib. ii. De rebus Emman. Indi, inquit, neque chartâ vtuntur, neque papyro; sed stylo in foliis arborum silvestrium, quas propter similitudinem, palmas appellant, literas exarant. Imò Virgilius omnino amplè loquitur de cuiusvis arboris folio, lib. iii. Aeneid.

— foliisq; notas & carmina mandat.

Quicumque in foliis descripsit nomina virgo, &c.
Ergo in foliis palmæ scriptum.

De Maluâ, C. Heluius Cinna apud Isidorum:

Hæc tibi Arateis multum inuigilata lucernis

Carmina, queis ignes nouimus etherios,

Læuis in aridulo maluæ descripta libello

Prusiacâ vixi munera nauiculâ.

Hinc & folium μαλάχης sanctissimum Pythagoræ appellatum, apud Ælianum lib. iv. cap. xvii. Sic & Hesiodo dictum:

Οὐαρ τ' εν μαλάχῃ τε καὶ σφραδέλῳ μέγ' ὄντεσσι.

Imò & in foliis oleæ Syracusanos Iudices solitos exulum nomina scribere refert Diodorus Siculus lib. ii. adeoque capitales sortes fuisse foliis frequen-



frequenter inscriptas etiam apud Græcos, argumen-
to est, quod condemnatio dicta sit ἐκτυλοπό-
νος, ut Iunius obseruat lib. 11. Animaduer. cap v.
Fungo autem Burri inscripserunt ad Traianum, a-
pud Xiphilinum; & pomo Acontius, apud Ouid.

Flerum folia subinde inscribi solita, reperi apud
Ouidium v. Fastorum De Floralibus :

Prima Therapnæo feci de sanguine florem,

Et manet in folio scripta querela suo.

apud Virgilium Eclogâ 111.

Dic quibus in terris inscripti nomina Regum

Nascantur flores. —

quod multi de Telamone in Hyacinthum verso
accipiunt. cui flori duæ hæ literæ AI inscriptæ vi-
dentur significantes Alacem. quâ dē re Ouidius
lib. xiiii. Metamorphos.

Litera communis mediis, pueroq; viroq;,

Inscripta est foliis; hac nominis, illa querela.

vbi literam communem vocet AI, vel YA. à quâ
& HY Acinthi & Alacis nomina inchoantur. eo-
demque alludit Poëta lib. x. Metamorph.

Ipse suos gemitus foliis inscribit; & Hya

Flos habet inscriptum, funestaq; litera ducta est.

Formosorum verò nomina iis insculpi, hisce for-
mulis, οἱ σύρα νεράοις, Ille formosus est, Pulchra Rasi-
compsa, &c. notauit Petrus Victorius lib. xvi. Va-
riar. cap. v. Vide Crinitum libro 111. De hone-
stâ disciplinâ cap. 111.

Libri arborum, hoc est tunicæ interiores corticis,
suffecti in locum foliorum. Plinius lib. xiiii. c. xi.
In foliis primò scriptitatum; deinde quarundam arborum
libris. Arborum autem huiusmodi tres species e-
numerat Vlpianus Leg. Librorum. in princ. ff. De

Leg.

92 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

Leg. IIII. tiliam, philyram, & papyrum. Scribit Q. Septimin. in Præfatione Dictys Cretensis, vidisse se opera Dictys omnia, in talibus librorum tunicis scripta. In viuarum corticibus arborum subinde, sed rarius scriptum legimus; de quo ritu posteā agetur longius.

Tabellæ lignæ, quia magis ferunt ætatem, mox libris substitutæ; eodem fortè tempore quo inuenti libri lintei & plumbei. Quia enim in arborum libris hucusque fuerat scriptum, facilius nempe cogitarunt de ligneis tabellis, quam de linteo aut plumbo quæ minùs ad manum sunt; ut videor posse non male suspicari. Porrò hæ tabellæ codices dictæ, & codicilli; à caudice arborum, è quibus in scindulas sectæ. Fuisse autem ante chartæ & membranæ usum inuentos, Isidorus libro VI. cap. VIII. scribit his verbis: *Ante usum chartæ & membranarum, in dolatis ex ligno codicillis epistolarum colloquia scribebantur.* imò ante pugillares cereos, non dubitem asserere: quia simpliciores tabellæ nudæ quam ceratae; & Plinius indicat libro XIII. cap. XI. priuata monumenta linteis confici cœpta aut schedis. ita enim legendum esse pro ceris, monet Scaliger contra Guilandinum ex omnibus manuscriptis. Sunt aut schedæ aut schedulæ Græcis eadem quæ nobis tabellæ nudæ: *Aliud, inquit Scaliger, est cera, aliud scheda. scheda non est deletilis; erat enim pagella lignea.* Ex huiusmodi vero assellis seu tabellis, librum Hebraicis & Latinis characteribus scriptum, inuentum esse prope Toletum temporibus Regis cuiusdam Ferdinandi, narrat Rodericus Sanctius Episc. Palentinus, 3. part. *historia Hispanicæ* cap. I V. & Baronius in *Martyrolo-*

rologio Romano, Codicem Euangeliū diui Mat-thæi in huiusmodi schedulis Hebraicè scripti, in-nentum refert in monumento D. Barnabæ Apo-stoli: *Libri huius tabellæ*, ait auctor Vitæ apud Su-tium Tomo 111. erant thyinis lignis compoſita.

Solebant autem in huiusmodi tabellis discere primò ſcriptionem analphabeti; a quo etiam Plauti vt ipſe ſignificat Bacchid. Scenâ Nunc experiar:

Extemplo puer paedagogo tabulâ dirumpit caput.
ſi enim cerata fuifet tabella, & non nuda, ac ſatis etiam crassula; quomodo puer eā caput dirumperet paedagogo? non, ſi vel cucurbita eſſet eius caput aut pepo. Deinde fiebant hæ tabellæ ē ſolo ligno, vt pueri intra excifos characterum fulcos exercent manum, quam nempe oræ ligni duriores, ne exerrarent, cohibebant; vt ita etiam ad ceram ſenſim firmaretur; quale ludi genus tirunculis præſcribit Quinctilianus libro primo cap. 1. Denique eadem tabellæ, à pungendo, dictæ pugillares, pugillar & pugillaria (vt loquuntur Gellius & Ausonius) & varia facta ſunt earum genera.

Cerei pugillares, à ceræ crustâ vel malthæ; hanc enim etiam tabellis illitam ſcribit Pollux lib. x. c. xiv. ex Aristoph. & Cratino. Idē quincuplices à numero foliorū dicti Martiali lib. xiv. Epig. iv.

Quincuplici cerâ cùm datur altus honos,
materiâ quidem vilissimi, ſed officio ſummi; quando illis ſolis ſcribebatur ad Imperatores, qui qualésve eis honores decreti pro triumphis, ve indicat ille citatus versus.

Citrei pugillares, ē citri ligno. Martialis lib. xiv.

Secta niſi in tenues eſſemus ligna tabellas,

Eſſemus Libyci nobile dentis opus.

Ebur-

94 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

Eburnei, ibidem Epigram.v.

*Languida ne tristes obscurent lumina cera,
Nigra tibi nūcum litera pingat ebur.*

Hi verò eburnei pugillares iidem sunt quos Vo-
piscus in Tacito, & alibi, vocat libros elephan-
tinos; ut rectè opinantur Turnebus & Pancirollus.

Membranei, ibidem Epigram. vii.

Esse putaceras, licet hac membrana vocetur:

Delebis, quoties scripta nouare voles.

Liturantur enim chartæ illæ deletiles è gypso aut
cretâ, digito in saliuā intincto. de qualibus men-
tio fit Leg. Si quis, in quod. 7. De Iurisdict. omn.
iud. P. & alibi lib. 50. tit. 3. cum similibus. De-
nique ut paucis omnia complectar quæ ad pu-
gillares faciunt, lubet hîc adscribere Raderi no-
stri verba è Commentariis illius doctissimis in
Martialem : *Pugillares sunt Græcis δύπλυχα, σανίδες,*
πτυκάδες. Homerus lib. v i. Iliad. πτυκτὸν τίναχα appelle-
bat, unde appareret antiquissimus pugillarium usus. Forma
eorum quadrata; olim etiam trigona. unde δεκάτιον δύπλυ-
χον Herodoto dictum. Materia varia; è buxo, unde πυξδον;
*è citro; è lapide atro in laminas tenues secto, quem arda-
siam appellant; è laminis membraneis; ex ebore. A nume-*
ro paginarum, duplices, Græcis δίπλυχα; triplices, τριπλυ-
χα; quincuplices, πεντάπλυχα. Triplices & quincuplices
vulgè erant pugillares è cerâ, tiliâ, philyrâ, buxo, membra-
nâ; quia viliores. Duplices tantum, quia pretiosiores, citri
& eburnei; ut Carrio obseruat lib. ii. Emendat. cap. vi.
Hucusque Raderus, sanè accuratè & eruditè.

Plumbeis voluminibus monumenta publica confici cœpta
sunt (nempe post pugillares) verba sunt Plinij li-
bro xiiii. cap. xi. Sed è plumbo volumen diu-
turnum nullum fieri potest; plumbum enim, se-
mel,

mel , iterūm , tertiumque conuolutum & euolu-
tum, facillimè rumpitur. inde enim nomen volu-
mini datum à crebrā conuolutione , vt refert Isi-
dorus lib. vi . c. xiiii . Igitur per volumen Plinius
laminam intellexerit : sicut Sueton. Neron. c. xx.
chartam plumbeam vocat; quam eamdem Plinius li-
bro xxxxi v. cap. xvii . (referens de Nerone
eamdem rem cum Suetonio) appellat *plumbi lami-
nam*. & certum omnino videtur, cùm publica mo-
numenta , quæ vulgò publicè spectanda propo-
nuntur, nihil opus sit instar voluminum posse con-
uolui. Vnde Gallorum publica monumenta , ar-
gentea fuisse scribit Trithem. lib. i. breuiarij An-
nal. Franc. & Romani ea non è flexili plumbo,
sed aternaturo ære confecerunt; vt multis constat
ex locis apud Dionysium Halicarnasseum libro x.
Tranquillum in Cæsare, Machab. lib. i. c. viii .
aliosque scriptores, pro quibus omnibus illud v-
num Horatij satis esse debet :

Exegi monumentum ære perennius.

tum etiā quod alij auctores omnes semper plum-
bi laminas appellent , nusquam volumina. Ita
Frontinus lib. iii . cap. xi . literas *lamellis plum-
beis* inscriptas, per vrinatorem sub aquâ missas re-
fert. Interpres Pausaniæ in Bœoticis , Hesiodi li-
brum *plumbis laminis* confectum fuisse in Bœotiâ.
Interpretes cap. 19. Iobi Prophetæ : *Quis mihi det
vt sermones mei exarentur in libro , & stylo ferreo in
plumbi laminâ.*

Linteis priuata monumenta confici cœpta sunt. pergit
dicere Plinius loco citato. Neque hîc repugno ; è
linteo enim , quod volubile semper est, facile fit
volumen. Porrò de libris linteis Liuius libro i.

Decad.

Decad. i v. & Vopiscus in Aureliano; vt mirari haud satis queam quid Turnebo viro doctissimo venerit in mentein , rescribere lib. xxix. cap. xx. pro *linteis* , *luteos* , in Aureliano Vopisci. maximè quando eosdem Marciānus Capella in Proœmio Graminat . vocet *carbasinos* : de iisdem scribat Claudianus bello Gethico :

— *Romani carbasus eui.*

eosdem Philostratus in Vitâ Apollonij appellet *Sindones*, in quibus nempe Indis scribere mos fuit: denique Suidas scribat in πέμφιν Mineruę, hoc est velo nauis Panathenaicæ, quinquenniis singulis solita scribi eorum omnium nomina, qui fortis bello se præstiterant.

Membranæ inuentæ ante chartas; vt benè notarunt Dalecampius in Notis Plinianis , & Pancirollus lib. i i. tit. xiiii. Charta enim Alexandri temporibus primùm nata est : membranaceos autem antiquissimos libros ab Eleazarō Pontifice Iudæorum ad Ptolomæum Philadelphum missos esse scribit Iosephus libro x i i. Antiquit. & argumento est illud , Græcis pro re antiquissimâ usurpatum prouerbium ; *Diphtherā* (id est, membranâ) *antiquior* ; membranæ quam chartæ usum esse longè priorem. Igitur quod ex Varone Plinius scribit lib. xiiii. cap. xi. *Pergami ab Eumene rege inuentas esse membranas* , *supprimente chartas rege Ptolomæo*; ita dictum esse cogitandum est, quasi Eumenes primus summam copiam fieri iussit membranarum ob inopiam chartæ, & hinc membranas dictas esse pergamenum seu pergamenam. Membranæ autem vocatæ sunt , quod sint pelles , pecudum membris deglubitæ , vt Isidorus

dorus lib. vi. cap. x i. addit denique, eas varij fuisse coloris, aut candidas, aut alterâ ex parte luteas seu croceas, aut purpureas. Atque hoc spectat illud Persij:

Iam liber & positis bicolor membrana capillis.

Membranis denique accensenda sunt pecudum intestina, in quibus item scriptum fuisse legimus; qualia sunt elephantorum omenta, de quibus Isidorus lib. vi. cap. xi i. & illud draconis intestinum, in quo Zonaras lib. iii. Annal. narrat scriptam fuisse Iliadem totam Homeri & Odysseam. Ita quoque Attalus Rex manui suæ inscriptas literas (more Hebræo, hoc est, à dextro versus sinistrum scriptas) continentes hanc sententiam, *Regis victoria*, impressit calido vietimæ cæsæ intestino (iam scriptas scilicet ordine recto à sinistro in dextrum) ut eo veluti bono omne & præfigio militem suum excitaret in Gallos & Galatas hostes, auctore Polyæno lib. i v. Stratagem. Præter hanc omnem tam variam materiem, reperio subinde, sed rariis, scriptum in aliâ ignotiore. In corio à Lacedæmonibus scytale. In puluere à militibus condentibus testamentum; quod valere scribit Constantinus in Leg. Milites. x v. De testamentis militar. lib. v i. C. tit. xx i. In puluere item seu cinere scribunt Episcopi, dum templa consecrant, omnes literas Alphabeti Græci & Latini, auctore Guilielmo Durando libro i. Rational. diuin. Offic. num. 6. In vestibus: de quo infrâ cap. x i i. extremo. In terrâ Seruator noster scripsit, Ioannis v i i. & Suidas meminit *eis τέφας χάρτην*, cineri inscribere. In vino & aquâ, quod dicetur capite sequenti. In humanâ

G

cute,



98 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
cute, de quo cap. xix. vbi de notis seruilibus;
quamquam & Epimenidis demortui cutis tota
inuenta est literis conscripta, sine inustione, ut
Suidas in Epimenide. à quo natum Proverbium:
Ἐπιμενίδεον δέρμα. Imò D. Ignatij Martyris cor
aureo Iesu nomine legimus diuinitus fuisse in-
scriptum. Omnis denique materia quæ picturæ
aut cælaturæ est apta, versa ad scripturam, lapis,
lignum, plumbum, æs, aurum, argentum, gem-
mæ, vitrum, &c.

C A P V T X I.

*De primo usu chartæ, eiusq[ue] variis gene-
ribus & appellatione.*

CHARTARVM tractatio singulare sibi hoc
caput visa est vindicasse, cùm ob rerum am-
plitudinem, tum etiam utilitatem ac nouitatem.

Chartam, ætas nostra; sed prisca illa Lucilij
Auruncani, chartum masculino genere appella-
uit, auctore Nonio. De causâ nominis contesta-
ta lis inter multos est; sed nulli etiamnum ad-
iudicata. Guilandinus lib. De chartâ, & Panciro-
lus lib. ii. tit. xiiii. chartam ita dictam volunt
à Chartâ Tyri vrbe, prope quam primùm inuen-
ta sit papyri arbor, è quâ mox facta charta.

Isidorus lib. vi. cap. x. chartam dictam esse putat,
quod carptim papyri tegmen decerptum glutinetur. Con-
trà Scaliger docet, decerptas illas papyri tunicas,
semper esse papyros vocatas, donec ad scribendas
epistolas earum cœpit esse usus; tum vero non iam
amplius papyros, sed chartas esse dictas à verbo χαρτη,
quod omnibus epistolis suis pro fronte inscribere solebant

Gratt;

Græci; sicut Latini verbum suo, vel subs. de quo Mar-tialis lib. xiv. Epigr. 11.

Omnis ista solet charta vocare suos.

Epistolares ergo bybli, à χαρτε, chartæ dicti. quare non abs re Martialis chartam epistolarem salutatricem vocat, lib. ix. epist. c1.

Charta salutatrix si modo vera refert.

Atq; ab hoc tempore chartæ appellatæ sunt chartæ nouæ; vt à pugillaribus è gypso factis, seu palimpsesto, vt Catullus, Cicero & Plutarchus nominant, iam pridem inuentis (qui vocabantur chartæ deletitiæ) distinguerentur. Nouæ autem & deletitiæ chartæ mentio fit apud Vlpianum libro 1. Digest. De bonor. posses. secund. tab.

Iam de chartæ primâ inuentione ita Plinius scribit lib. xiiii. cap. xi. *Chartam Alexandri Magni victoriâ repartam, auctor est Marcus Varro, conditâ in Ægypto Alexandria; anteā non fuisse chartarum rsum.* Sed Guilandinus libello *De papyro*, demonstrat longè ante hæc tempora chartam ex papyro esse factam; quamquam de certo aliquo tempore certum nihil statuat; neque sanè facile quisquam aliis id possit, cum de nullâ re ferè scriptum sit minus atque de origine scriptio[n]is.

Chartarum autem confeccio, quia non tam est considerationis criticae, quam artificij cuiusdam mechanici, visa est non facere operis huius instituto, eaque re prætermittenda. De variis tamen chartarum nominibus duxi non esse silendum. Nomina porrò omnia quadruplici ex capite orta esse, videre mihi videor. A locis, auctoriis, materiâ aut formâ, denique ab officiis.

A locis nomen intuenterunt, auctore Plinio li-

G 2 bro

bro xiiii. cap. xii. Saitica, Tæneotica, seu Tæneotica, seu Tanitica, Libyana, ad honorem prouinciae Libyæ, auctore Isid. lib. vi. cap. x. *Chartæ Thebaicæve, Caricæve*, apud Statium lib. iv. Siluarum. *Aegyptia*, apud Apuleium. *Memphitica*, apud Turnebum lib. v. cap. xi. quod displicet tamen Henrico Salmuth in Not. Pancirolli. *Amphitheatrica* apud Plinium; ab Alexandrino quodam Amphitheatro, vt suspicatur Scaliger; non *Athribitica*, vt contendit Guilandinus. *Mellonis pagina*, id est, Nili, apud Ausonium; sicut *Niliaca papiri* apud Martialem.

Ab auctoribus. Augustæa (quæ Catullo est Regia) Liuia, Fanniana, apud Plinium lib. xiii. c. xii. Corneliana, apud Isidorum lib. vi. cap. x.

A formâ. Μαρόνωλαι, à κάλῳ schedâ, quasi longa scheda; melius, inquit Scaliger, quam à κόλῃ, glutine, seu tergo bouino. Vnde Martiali talis inscriptio lib. xiv. Apophoreto x. *Chartæ maiores*, quales longissimæ sunt chartæ Sinenses, subinde quatuor vlnarum, vt ipsem vidi.

A materiâ. Charta plumbea, Suetonio; delititia & noua, Vlpiano.

Ab officio. Salutatrix, Martiali; Emporetica, Plinio: item Hieratica, quod solis sacris literis seruiret; sicut barbarè vocamus chartam Postarum, quam rectius cursoriam diceremus, quod ea seruiat literis per Cursorem mittendis. His adiungi potest dentata charta, vt Cicero ad Qu. Fratrem scribit lib. ii. ep. xvii. ab officio reprehendendi.

Denique ut caput hoc absoluam, lubet attexere iucundas quorumdam auctoriū metaphoras, quibus in re scriptoriâ eleganter iuxta & ingeniosè quant-

ET REI LITERARIAE ANTIQVIT. 101
quandoque vñi sunt; vt sint hæc paucula veluti
pro epicitharismate, ad præteriorum nauseam
condiendam.

Arare, apud Qu. Attam est scribere. *Vomer* & *mu-*
cro ossus, sunt stylis. *Stadium charteum*, Varroni a-
pud Nonium est charta.

Effodere, apud Ennodium est scribere. *Acumina*
ferrea, apud Prudentium, sunt styli: *Cerata buxa*,
& *æquoris hirti area*, sunt tabellæ: *Arati sulci*, sunt li-
teræ: lib. *æc sephavov*, de Cassiano Mart.

Aequor paginæ, apud Boëtium. *Aequor cereum*, apud
Ausonium. *Campus papyrinus*, apud Scaligerum.

Alba melonis filia, pro chartâ apud Autonium, vt
legit Mariangel. *Fissipes calamus*, pro pennâ.

Cadmi nigellæ filia, *Noteq; furuæ sepiæ*, apud
eumdem pro literis.

Charta virgo, Martiali alba: *Vlpianus puram vo-*
cat. *Charta anus*, Catullo est vetusta. Ausonio, *opi-*
ca. *Sepia & lolligo*, Horatio & Persio sunt atramen-
tum. *Fistula*, calamus est Persio.

C A P V T X I I .

Quâ materiâ scriptum, siue ex quâ literæ?

Ex quo calami, pennæ, & penicilli adhibiti
scriptioni, ex eo etiam literæ distinctam ha-
buere materiam suam ex quâ, seu quâ pingeretur.

Sermo hic mihi erit de eâ materiâ quæ literas
ob oculos ponit; non autem de eâ quæ commento
clandestino subducit & celat; vt sunt lac, cepa, sal
Ammoniacum, &c. de quibus postea, ubi de lite-
ris clandestinis.

Communis maximeque vulgata materia, est atramentum, μελαρτηγία, ab atro colore dictum. cuius faciendi artificium tradunt Isidorus lib. xix. cap. xvii. & Vitrinius lib. vii. cap. x.

Inuenta deinde ad scriptionem, *miltum, minium, cinnabaris & sinopis*, quæ omnia rubri sunt coloris, auctore Plinio, lib. x x x i i . cap. vii. Seruerunt autem maximè ad scripturam Imperatoriam & titulorum.

Encaustum verò ex muricis seu conchilij cruento compositum, pretiosissimum fuit, & solis Imperatoribus ad scriptiones visitationis, ut Brissonius in Append. De signif. verborum. Eo usus est Palæologus in syngraphâ quâ Romana Ecclesia obedientiam iurauit, quæ hodieq; Romæ visitur in eâ Spiritus sancti, ut refertur in Epitome quadam Chronic. Werueronis monachi Leodiensis.

Imò Leo Imperator lib. v i. C. De diu. rescr. *Sacra rescripta* alio colore quam purpureâ inscriptione lustrari vetat. ut Brissonius lib. i i i . De form. obseruat. qui mos seruatus quoque ab Imperatoribus Constantinopolitanis, teste Constantino Manasse, cuius hæc sunt verba in Annalib. Nam si quis ei chartam, rubris in eâ literis nomen Imperatorum subscrivebat, &c. *Imperator* precibus sororis annuit; mox cartam prehendit manu, & exaratis purpurei coloris literis, chartam confirmat. Denique adeò familiare fuit Imperatoribus encausto scribere, ut hinc ferè omnia Iuris capita sint miniata, & Rubricæ sint appellata. id quod fiebat cum maiestatis, tum etiam terroris causa; ut nempe legibus sinopide aut cinnabari notatis, & sanguineum quiddam ac cruentum minantibus, maiestas accresceret; quod insi-

— Dicant cur condita sit Lex

Bis sex in tabulis? aut cur Rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos?

Atque hinc apud Iureconsultos Rubrum, ut loquuntur, æqualis auctoritatis est cum Nigro, quando huic illud non repugnat. Rubrum enim seu Rubricæ, ab ipsis etiam Imperatoribus scriptæ sunt, sicut ipsæ Leges perscriptæ nigro, seu atramento. Exemplum autem est in Authenticâ, *Vt factæ nouæ Constitutiones.* cuius nigrum agens de solis Legibus testam. propter Rubricam accipitur de omnibus.

Affine huic scriptitio legum terrori fertur Draconis factum, leges suas sanguine scribentis, ut Pluarchus narrat in vitâ Solonis; quamquam hoc alij de eo iactatum velint, quod omnes eius leges pœnâ sanguinis & mortis essent obseruandæ, ut Demades explicabat. At saltem sanguine scribere non inauditum est iis qui meminerunt dæmoni subarrhatam fidem dato sanguineo scripto fuisse à quibusdam, quales non paucæ historiæ circumferuntur. Et miles quidam apud Silium Italicum lib. ix. clypeum suum ita sanguine inscribit: — *Fuge prælia Varro.*

Imò inter magicos ritus, auctore Suidâ, sanguinea scriptura est. Sunt hæc eius verba, voce Θετταλὶ γυνὶ: *Εστι Pythagoras, ludicum per speculum, huiusmodi: Lunā plenā si quis speculo sanguine quantum voluerit inscriperit, & obuerso lunæ speculo alium à tergo stantem lunam intueri iusserrit; is leget omnia scripta in speculo, quasi in lunā scripta essent.* Valere autem militum testamenta sanguine scripta in clypeis suis

aut vaginis, sanxit Constantinus Leg. Milites. xv.
De testam. militar. lib. vi. C. titul. xxii. Fortasse
etiam sanguine iussit Deus ab Angelis scribi Tau
in frontibus seruandorum, Ezechielis cap. ix.
sicut sanguine agnino iussit signari domos Iudeo-
rum in Ægypto, Exodi cap. xii.

Sed ne quidquam de literarum materiâ præ-
termittam, non abs re fore existimo, indicare
etiam quomodo subinde ex materiâ non liquidâ
literæ sint fabricatæ. Igitur de buxo & ebore ; di-
uis Hieronymus epist. ad Lætam, quæ est xv. li-
bri ii. Fiant ei literæ vel buxeæ, vel eburneæ, & suis
nominibus appellantur. Ludat in eis, vt & lusus ipse eruditio
sit ; & non solum ordinem teneat literarum, vt memoria
nominum in canticum transeat ; sed & ipse inter se crebro
ordo turbetur ; & mediis vltima, primis media misceantur,
vt eas non sono tantum, sed & visu nouerit. Et Quintili-
anus libro i. cap. i. Ad discendum irritanda infantia
gratiâ, eburneas etiam literarum formas in ludum offer-
re, notum est.

De ferro. Suetonius in Octau. cap. vii. Nactus
puerilem iconculam eius æream veterem, ferreis, ac ferè
iam exolescentibus literis inscriptam.

De argento. Cicero Verrin. vii. Signum Apollinis
pulcherrimum, cuius in femine literulis minutis argenteis
nomen Myronis erat inscriptum.

De auro. Macrobius lib. vlt. cap. v. Cæsari Di-
ctatori à Senatu decreti honores literis aureis in columnas
argenteas inscripti. Quamquam & de auro fusili seu
ductili non pauca etiam sunt vestigia ; apud di-
uum Hieronymum in primis Prologo in Iob: Ha-
beant libros auro argentoque descriptos. apud Sueton.
cap. x. Neronis : Carmina eius aureis literis scripta,

Capi-

*Capitolino Ioui dedicata. Apud Sidonium Apoll. li. i.
epist. ad Sidonium Mont. Dignum poëma quod apicibus perennandum auratis. In vitâ D. Nicolai, Constantinus Cæsar, Nicolao Euangelium aureis litteris scriptum transmittit.*

De byso, eaque omnicolore, aliûsve generis licio, mentio est apud diuersos. Martialis libro ix. epigram. xiv.

Quod Cytheræa suâ scribere gaudet acu.

Ausonius epigram. xcii.

Hermiones zonæ textum èlè, eñor erat.

Qui legis hunc titulū, Paphie tibi mandat, ames me.

Exemplq; tuo neminem amare vetes.

item Epigr. xxxvii. ad Sabinam:

Versibus inscripsi quæ mea texta meis.

Boët. lib. i. De Consol. Philosoph. Harum vestium in extremo margine π, in supremo verò δ, legebatur intextum. Ouidius vi. Metamorphos. De Philomelâ quæ Terei corruptoris sui nomen (cùm ab eolinguā sibi esset exfecta) liciis intexuit, misitque ad Prognen fororem. Plinius denique lib. xiii. cap. x. versu vlt. Nuper circa Babylonem in Euphrate nasci papyrum intellectum est, & cumdem usum habere chartæ; & tamen adhuc malunt Parthi vestibus literas intexere.

Hic me conuiuæ ut hominem siccum non iniuriâ accusent, si de suo more taceam; faciunt hi enim literas etiam ex vino. ita Ouidius:

Blanditiæq; leues tenui præscribere vino,

Vt dominam in mensâ se legat esse tuam.

Tibul. Eleg. vi. lib. i.

Neu te decipiat nutu, digitove liquorem

Ne trahat, & mensæ ducat in orbe notas.

Vel mihi potanti posſit ſua dicere facta

Miles, & in mensa pingere caſtra mero.

Vnde ſcītē legem illam tulit Modimperator
mensæ Lipsianæ, lib. 111. Antiquitatum:

Dicta, indicta; facta, infecta, vino inscribuntur.

Planè ſicut Græcorum Parœmiā dicitur, femi-
narum iuramenta eſſe vino inscribenda vel aquæ.
Athenæus lib. x.

Tὸν γὰρ γυναικὸν ὅρκον εἰς ὄστρῳ γράψω.

Inſcribo vino ſi qua iurat femina.

quod perinde eſt ac ſi dicas cum Catullo:

— *Cupido mulier quod dicit amanti,*

In vento & rapidâ ſcribere oportet aquâ.

nam & Lucianus in Tyranno, Plato in Phœdro,
Xenarchus in Pentathlo apud Athenæum lib. x.
vtuntur hac formulâ prouerbiali: *Scribere in aquâ.*
De lacrymis autē quod Catullus dicit, hyperbo-
licum eſt:

Conſcriptum lacrymis mittis epiftolum.

C A P V T X I I I

De epiftolis, & earum variis generibus.

EP I S T O L A E, ab ἐπιſέλλω, mitto. vnde Latinis
æuo lapsante vocatæ missæ & miſſiue. Isidorus
lib. vi. cap. viii. Epiftolam Græci vocant, quod inter-
pretatur Latinè missa. Miſſiue nomen apud Cassio-
dorūm eſt. cuius loci me admonuit Amplissimus
Archiducum Consiliarius & Historiographus
Erycius Puteanus, cuius etiam libris aliquot in
hoc opusculo uſus ſum.

Varia autem numerantur epiftolarum nomina
à Car-

ET REI LITERARIÆ ANTIQVIT. 107
à Cardinale Baronio Tomo 11. ego hīc adferam
longē plura, & si possim, omnia.

Apostolicae literæ, quas item Brevia Apostolica
vocamus, epistolæ sunt à Romano Pontifice
Apostolicâ auctoritate scriptæ.

Clericæ literæ, à D. Cypriano vocantur episto-
lā quartâ editionis Pamelianæ, illæ quæ à Clero
scribi solent Sede vacante.

Canonice, ut scribit Atticus Tom. 11. Concilio-
rum post Concilium Chalcedonense, eadem sunt
quæ *Communicatoriæ*, seu *Formatæ*, de qui-
bus mox.

Caballicatae sunt, quas cursores in caballatione,
hoc est in cursu publico deferunt. ita Luidbran-
dus Ticinenis appellat apud Lazio lib. 11. De
Repub. Rom. cap. xiv.

Circulares seu *Encyclicæ*, quæ à Synodo vel Papâ
scribuntur ad totam Ecclesiam, & hæ etiam vo-
cantur *Catholicæ*.

Captiuorum literæ nominantur in Concilio Lug-
dunensi Secundo cap. 11. quæ ab Episcopis da-
bantur pro redemptione captiuorum.

Confessoriae, quæ ab incarceratis ad Episcopos
scribebantur pro lapsis. Fit earum mentio in
Conciliis Eliberitano & Arelatensi Primo.

Commendatoriae, quæ Clericis peregrinantibus
dabantur à suo Episcopo. quemadmodum &
Romani magistratus dabant commendatitias suis
mercatoribus proficiscentibus in Provincias, vt
Freigius notat ad illud Verrinæ 1v. *Apud illum*
non tabulas commendatitias, sed tributarias multum va-
luisse. *Tributariæ* autem sunt quibus Magistratus
imperabat tributa Provincialibus.

Formatæ

Formatæ seu *Formales*, ut eas Suetonius nominat Domitiano cap. xiiii. dictæ quod certa formulâ conciperentur, quia in legem erant transituræ. ita Torrentius docet ex illo Suetonij capite xx. Domitian. *Epistolas alieno formabat ingenio*. Dabantur Episcopis ad Parochias suas redeuntibus Româ, quod fuerant euocati, ut constaret scilicet de eorum cum Romanâ Ecclesiâ consensu & unitate: quod scribunt Augustinus epistolâ c. lxi. ad Eleus. epist. c. lii. ad Glorium; & Optatus lib. ii. contra Parmenianum.

Igitur ne qua fraus hereticorum intercederet, Formatarum scribendarum formula certa concepta est à Synodo Nicenâ cap. xviii. eaque expressa est apud Iuonem part. vii. cap. ccccxxxiv. & ccccxxxv. item apud Burchardum lib. ii. titul. ccxxvii. hoc exemplo quod transcripsit Petrus Gregorius lib. xvi. de Rep. cap. ii.

π. 80. id est, πατήσ. υ. 400. id est, ιός.

α. i. id est, ἀπό. π. 80. id est, πέτρος.

Debebant enim quatuor primæ literæ significare Patrem, Filium, Spiritum sanctum, & Petrum Apostolum. zifra autem adiectæ notant' numerum quem quæque litera Græcis significat. Mox subiungebatur litera initialis quæ inchoabat nomen vel Pontificis, vel Episcopi mittentis suum subditum. verbi gratiâ: si Episcopus vocabatur Petrus, vel Ratholdes:

π. 80. id est, Πέτρος. ρ. 100. id est, Ραθόλδος.

Deinde post nomen Episcopi mittentis, scribebatur secunda litera ex nomine Episcopi ad quem subditus mittebatur. verbi gratiâ: si vocabatur Robertus, ρ. 70. id est, Ρωμηός.

Deni-



Denique tertia litera ex nomine ipsius subditū missi. verbi gratiā: μ. 40. id est, Θωμᾶς.

Tum iterum quarta litera ex nomine loci ad quem mittebatur. v. g. ν. 400. id est, Τρεύσεις.

Rursum numerus Indictionis quæ erat illius anni 906. quo tempore Burchardus misit hanc formulam θ. 9.

Extremæ verò epistolæ semper addebatur,

a. 1.	
μ. 40.	{ 99. id est, Αὐλί.
η. 8.	
ν. 50.	

Ad singulas autem literas adiiciebatur is numerus quem quaque literæ significant Græcis; forte ad maiorem obscuritatem ignorantium. Tamen has *Formatas*, ad illudendum Catholicis Episcopis Julianus Cæsar imitari cœpit, ut scribit D. Nazianzenus contra Julianum; & ex eo Sozomenus lib. vi. cap. xvii. & lib. 8. cap. iiii.

De Forinatis autē varij generis, Pacificis, Commendatitiis, Dimissoriis, &c. libellum integrum conscripsit Geraldus Rodolphus Grauiensis. Obseruat verò Budæus in Commentariis lingue Græcæ, Formatam intellectam esse à D. Hieronymo, cùm sic scripsit epist. ad Julianum: *Iam dimisso synthematè equus publicus sternebatur.* quamquam sint nonnulli qui σωδημα putant esse vexillum, vel tesseram aliquam cursorum; quod mihi indicauit R. P. Heribertus Rosveydus noster.

Decretales, quibus Romani Pontifices ad interrogata respondebant, & vitanda sequendāye decernebant.

Dimissoria, Στολυτικαὶ καὶ Στολαὶ etiam dicebantur,

110 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

tur, vt Lazius notauit de Repub. Romanâ. erant autem literæ quibus scribebatur Clericum de voluntate sui Antistitis aliquò esse profectum.

Laureatæ, quæ lauro inuolutæ in victoriæ signum à Romanis Imperatoribus mittebantur ad Senatum. De his Liuius lib. v. Literæ à Posthumio laureatæ, sequuntur victoriam populi Romani. Claudianus item De Bello Gildonico; & Panegyr. in vi. Consulatum Honorij.

— *Laureabelli.*

Memoriales seu *Commonitoria*, quibus instruebantur Legati de singulis ad quæ mittebantur agenda.

Metatoria epistola à Sidonio nominatur lib. viii. ad Lupum Papam, quæ nihil est aliud interprete Baptista Pio, quam *Odæporicon*, hoc est *Itinerarium*. Scaliger autem in *Lectionibus Ausonianis* ait, metatoriam esse id quod Ausonius vocat *ad monachos*, & Martialis *Aduentoriam*. De quâ docent Turnebus lib. xxx. cap. xxviiii. & Cælius lib. xxviii. c. iii. esse epistolam quæ obuiam mittebatur aduentanti amico: id quod eruditè confirmant.

Pastorales, quæ pro instructione ad diuersas Ecclesiæ mittebantur; quales Paulinæ aliquot, & Ignatianæ.

Synodicae, quæ ad Synodos scribebantur, vel ab ipsis Synodis mittebantur.

Systatica literæ, quandoque pro Commendatiis, alias pro literis commeatus ponuntur, vt obseruat Petrus Gregorius lib. xvi. De Repub. cap. ii. Pro Commendatiis, cap. xxxii. Apostolorum: *Nemo Episcoporum peregrinorum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum suscipiatur sine literis systaticis.*

ET REI LITERARIÆ ANTIQVIT. III
ticiſ. Pro literis commeatus. Nouell. Iustinian. vi.
cap. i i i. Non autem aliter aliquem p̄fumere dirige-
re ſe ad hanc ciuitatem statuimus, priu quām literas ac-
ceperit, quæ ſecundūm diuinās regulas oſuannā regulae,
teſtimoniu[m] perhibentia neceſtitatis, &c.

Pragmatice, quibus aliquid faciendum p̄ſcribitur.

Tractatorie, quibus Episcopi certiores facie-
bant alios rerum gemitum. Auguſtinus Concio-
ne ii. in Psalmum xxxvi.

Tractorie, eadem quæ olim Commendatoriæ.
Iis euocabantur Episcopi ad Concilium cum au-
toritate utendi curſu & ſatiuiſ publicis, inquit
Baronius Tomo i i i. ex epift. Constantini ad
Ablauium. eſt item Titulus de Tractoriis & Sta-
tiuiſ lib. viii. cap. vi. Cod. Theod. Vide Cuiac-
cium C. lib. xii.

Denique, ne longum faciam, communia alia
epiſtolarum nomina qui omnia ſcire volet, legat
libros Erasmi & Lippi Brandolini De conſri-
bendis epiſtolis, & libellum qui inſcribitur E'mſo-
lunoi rūmī, quem Aldus p̄fixit epiſtolis Synesij
in volumine Epiſtolarum Græcarum, vbi de La-
conicis, eroticis, conuiualibus, familiaribus, &c.
diſeritur copioſe. Quamquam ſunt & quædam
epiſtolæ, quæ quo nomine appellari, aut quâ in
classe cenſeri debeant, non ſcio. Tales ſunt illæ
Theodosij Iunioris literæ ſcriptæ ad Chryſoſto-
mum mortuum; quæ ſtarim atque impositæ fu-
re ſancti cadaueris pectori, cadauer quod antè
nulla vi poterat loco moueri, vectoribus ſuapte
ſponte quaſi morem geffit. Quidam etiam e So-
ciate noſtrâ mihi amicissimus, narrauit mihi,
ſoro-



sororem suam, decennem puellulam, quo nescio instinctu, epistolium scripsisse patri suo iam de mortuo, in cælum; & paucis post diebus eam abiisse è viuis ad patrem.

Illæ verò literæ D. Thaumaturgi admirabiles sunt quas dæmoni his verbis inscripsit: *Gregorius Satanae. Ingredere.* & ingressus denuò est dæmon in locum unde fuerat depulsus.

Stultissima autem & risu digna Xerxis epistola, quam, nescio quâ irâ accensus, scripsit ad montem Athos.

Quid quòd mortui subinde respondisse & scripsisse legintur; apud Niceph. lib. VIII. cap. xxii. ubi Chrysanthus & Musonius Episcopi defuncti in Synodo Nicenâ, nomina sua Synodalibus Actis post mortem inscripserunt.

Vriæ literæ, abierunt in Proverbium; de iis quæ ab eo in quem scriptæ sunt deportantur; sicut Vrias ferebat literas Dauidis, quibus ipsemet iubebatur necari, II. Reg. cap. II.

Illud fortè non ita omnibus obseruatum: certum fuisse epistolarum initium, certam item clausulam. Initium Platoni fuit antiquissimum *χαιρετινον*, gaudere; vel *benè agere*, & πάτταν, ut patet ex epistolâ eius tertiatâ ad Dionysium, aliisque pluribus exemplis quæ colligit Lucianus. quam formulam Pythagoras & Archytas, mutarunt in *ὑψίνετον*, hoc est, saluere. Cleon primus, pro initio scripsit *χαιρετινον*, auctore Luciano De saltat. quemadmodum Latinè utramque formulam expressit Horatius epist. ad Celsum:

*Celso gaudere & benè rem gerere Albinouano
Musa rogata refer.* —

Iam

Iam vulgò, saluere, & salutem plurimam dicere, item suo, vel suis, teste Martiale, dicimus:

Omnes ista solet charta vocare suos.

Clausula Græcis, *Pax*; quæ item adhibita omnibus ferè rebus finiendis. Ausonius in Versibus monosyllabis:

Totum opus hoc sparsum crinis velut Antiphilæ. Pax.
 Hanc tamen præpostorè aliam fecit scribendo in extremâ epistolâ χαίρε Ptolomæus Lagi, ad Seleucum. Latinis clausula est, *Vale*; ut in omnibus Ciceronis epistolis. Ampliùs verò Augustus Cæsar, *ad epistolas omnes, etiam horarum momenta, nec diei modo, sed & noctis, quibus datae significantur, addebat.* Suetonius August. cap. l. Vnde *Datum, à barbaris usurpari cœptum vice clausulæ illius Ciceronianæ A. D. id est, Addiem, vel Ante diem, ut interpretatur Simeon Bosius Commentariis in epist. I. ad Atticum.*

C A P V T X I V.

Oeconomia cursus publici, seu ratio mittendarum epistolarum.

QUONIAM res grauissimæ solent epistolis commendari, pro iis vltò citrò mittendis celeriter ac tutò, excogitata ratio est; de quâ, quia hucusque quod sciam non est omnino in lucem protracta, & maximè facit ad rem scriptoriām, duxi necessariò mihi esse tractandum. Igitur ad eam rem variæ excogitatæ sunt artes. Nuntij pedites, equites, curules, nauales.

De pedestribus nuntiis, exemplo sunt Heraclitus, Indacus, & Philippides, homines velocif-

H simi

simi cursus, apud Suidam : adeoque ipse deorum nuntius Hermes seu Mercurius , qui ad velocitatem talaribus uti fингitur; & Ladas, quem Solinus cap. vi. scribit, inter currendum ne vestigia quidem arenae impressisse. Anistius item Lacon & Philonides, Alexandri Magni cursores, à Sycione Elin usque mille ducenta stadia uno die transierunt. O Græca fides! Est item de pedestribus cursoribus facetum illud Vespasiani responsum apud Suetonium: Vespasianus enim *Clastarios* qui ab Hostiâ & Puteolis Romanam pedibus cursitantes, petentes constitui sibi aliquid calcearij nomine; quasi parum esset sine responso abegisse, iussit post hæc exalceatos cursitare; & ex eo ita cursitantes.

De equestribus cursoribus, Martialis:

Parcius ytaris, moneo, rapiente veredo.

Ausonius :

Vel celerem mannum, vel ruptum terga veredum.
Isidorus vero ait, *Veredos dictos, quod currant per publicas vias, per quas rhedis etiam curri est solitum.* & Græcis sanè equi veredi, à cursu, Dromanarij, ut etiam Cassiodorus eos vocat lib. i v. Variar. qui ibidem eos quoque appellat *equos cursuales*, epistolâ ad Godifalcum Saionem. Iurisconsultis dicuntur subinde Paraueredi, & Parangari. quemadmodum à quodam cursore Palladio, equi Palladij sunt nominati. Is enim, auctore Cassiodoro lib. xiv. Histor. sacræ, tantâ velocitate veredos egit temporibus Theodosij, ut tribus diebus veniret ad terminos Persarum & Romanorum, & rursus totidem remearet ad Constantinopolim.

Curribus usos subinde esse cursores, testes sunt, Isidorus suprà citatus de Rhedis, Julianus qui

qui sic in epistolis scribit: *Ducet te publico cursu uno
vtentem vehiculo.* Suetonius in Augusto: *Iutenes pri-
mò modicis interuallis, dehinc vehicula dispositi.* Herod-
ianus lib. i i. *Commilitones ingenti studio vehicula
vrgebant, quasi Macrino adhuc rerum potente, de ma-
gnis rebus mitterentur.*

De nauigiis cursorum, Sidonius Apollinaris:
Typhim cursoriam naūm consendi. Seneca epist. l x x-
v i i. Tabellarias naues vocat, quę aduentum vicinę
iam classis prænuntiabant.

Hecce quadruplex cursorum usuratio, voca-
ta *cursus publicus*. item *caballatio* lib. x i i. Cod. titul.
De annona militari. *Cursus fiscalis*, quod eius cautio
ad quæstorem fisci pertineret, in Hadriano Lam-
prid. *Cursus clauicularis*, apud Ammianum lib. xx.
& leg. i i. & v. Cod. Theod. pro quo in Cod.
Iustinianæ mendosè legebatur *Ambularis cursus*,
obsruate Cuiacio, qui ait *Clauicularem*, seu *Clabu-
larē* dici à clabulâ, quod est vehiculi genus. Bris-
sonius in Caluini Lexico, fatetur nescire se quid
sit Clauicularis cursus; putatque non grauiter aber-
raturum eum qui legeret Caballarem cursum;
nam & Caballicationes & Caballicatas legimus,
inquit, apud Luitprandum in Historiā suorum
temporum. Turnebus lib. v i. Aduers. c. x x x i v.
Clauicularem cursum vocat cursus publici genus,
quod militibus caligatis concedebatur; eorum
enim caligæ erant clauulis confixaæ.

Parangaria apud Persas, quia Angari Persis nun-
tij, auctore Lazio; qui id habet ex Suidâ. Hoc pu-
blico cursu primis temporibus soli Magistratus
vtebantur: neque poterant Tabelliones operam
dare perferendis sarcinulis aut literis vulgi. Ita

H 2 persua-

persuadeor, quia apud Cassiodorum lib. iv. Theodorus Rex epistolâ ad Godiscalcum prohibet cursoribus plures res uno simul cursu peragere. Nullum, inquit, præterea saionum discursus facere patiaris, sed ad caussam ad quam directus fuerit, uno tantum itinere permittatur accedere, vel redire. & paulò superiùs: Nostrorum suggestione comperimus cursuales equos frequenti usurpatione fatigari. Docet autem eam sententiam clarissimè Ioannes Corass. lib. i. Miscellan. Iuris ciuil. cap. xi. Solis Imperatoribus licebat vii veredariis in epistolis transuehendis: aliis tantum impetrata facultate, quam vocant Tractoriam. Et certa omnino res est; nam nec Ecclesiastici iis vti poterant, sed nuntiis tantum Ecclesiasticis. Verba sunt D. Ignatij epistol. x i. Decet, beatissime Polycarpe, concilium cogere sacrosanctum; & eligere, si quem habetis, qui possit diuinus cursor appellari. quibus gemina sunt illa D. Cypriani, epist. x x i v. Quoniam oportuit me per clericos scribere, &c. necesse fuit nouos aliquos constituere, qui mittentur. & ritum hunc alibi obseruauit Cardinalis Baronius Tomo i. Annal. Eccl.

Igitur populo cursus publici copia fiebat per facultatem Tractoriam; quæ (vt eam definit Cælius lib. x x i. cap. x x i v.) est licentia vtendi equis publicis cursorum. Dabatur porrò hæc licentia scriptis tabellis testimonialibus, vt Vegetius loquitur libro i i. cap. 111. à quibus cursores inuenierunt nomen Tabellionum & Tabellariorum. Communiū verò eæ tabellæ apud Scriptores vocatur diplomata, hoc est duplices tabellæ. Cicero lib. x. ad Atticum: De diplomate admiraris? &c. ego autem, quia scripseras te proficisci cogitare (etenim audieram nemini aliter licere) eo te habere censem, & quia pueris diploma

diploma sumpseras. Capitolinus in Pertinace: Præfectus cohortis a M. Aurelio Imperatore, &c. quod sine diplomate cursum usurpauerat, ab Antiochiâ ad legatum suum ire coactus est. Et recte Capitolinus de pœnâ non accepti diplomatis: nam & grauissimam eam fuisse docet Cassiodorus libro v. his verbis: *Excedentium improbam præsumptionem tali te præcipimus distinctione resarcere, ut siue Gothus sit aut Romanus, qui sine nostrâ aut eorum quorum interest evectione, verendum præsumit attingere per unum equum, centum statim solidos a te cogatur exsoluere.* Et de illis pari quoque severitate censemus, qui supra evectionum numerum cursuales equos usurpare præsumunt. Hæc igitur ineunda erat ratio: accipiendum à Principe aut Præfecto fisci diploma: hoc ostendo, parochi apud quos per viam dispositi stabulabantur equi, statim nouos equos recentesque suppeditabant ad conficiendum cursum; ut tradit Lazio lib. ii. de Repub. cap. xiv. & hæc erat auctoritas publica, sine quâ nemini licet uti publico cursu, aut esse Tabellario. Ad hæc autem omnia ritè obseruanda, talis fuit instituta Oeconomia.

Præterat cursoribus omnibus Præfectus fisci, quem corrupto seculo vocarūt *Curiosum*, quod curram gereret cursus publici, & ad Curiam nuntios omnes referret, auctore Lazio; cuius meminit etiam Tertullianus lib. De fugâ, cap. xiiii. quem in locum Pamelius ex Notitiâ Orientis & Occidentis scribit, sub Magistro Officiorum, *Curiosum cursus publici fuisse unum; & Curiosos, per omnes provincias.* Extat item Titulus de Curiosis & Stationariis lib. xii. Cod. Iustinianæ, & Titulus x. libro xii, Theodosiani. Porro quem illi Curio-

sum olim, nos nunc appellamus Magistrum generalem Postarum: Græci eleganter, Λογοθέτης, ή Φροντίστης τὸ δρόμου. Huic generali Magistro, seu fisci Præfetto, suberant alij minoris auctoritatis, per singulas prouincias distributi, quos Theodoricus Rex in epistolis suis apud Cassiodorū vocat Saiones. Hi Saiones rursum per certa viarum interualla stabulis singulis assignabant suos Hippocomos seu Parochos. Sunt autem Parochi, ij qui salem, & ligna, & cetera præbere debebant proficiscentibus pro Repub. ait Porphyrio ad illud Horatij: — *& parochi, qui debent ligna salemque,*
nam & equos, & fœnum, & annonam curabant; cursores fatigatos hospitio accipiebant; recentes recentibus equis imponebant. Hippocomi vero nomen habetur Leg. *Non patimur*; lib. xi i. Codicis. Iam denique Cursores non poterant hippoperas suas (vt Seneca loquitur) implere onere maiori quam centum librarum, ex constitutione Theodorici apud Cassiodorum lib. i v.

Talis erat maioribus nostris in cursu politia: quæ quando primùm obseruari cœpta, non satis constat. Xenophon libro iv. Pædiæ narrat Cyrum, captandis orbe toto rumoribus, diurni itineris intercapedine stabula constituisse, & equorum curatores, certosque homines, qui literas eò perlatas inde ad proximum stabulum deferrent, ex quo ad vicinum denuò transferrentur; neque nullum hoc Rege anteriorem inuenio. Quare existimo ab aliis, quibus ea inuentio tribuitur, forte cursus rationem factam tantum fuisse magis expeditam, vt à Xerxe, quod scribit Herodotus lib. viii. in Vran. ab Augusto, quod scribit

Tran-

Tranquillus: nam de scipso scribit Iulius Cæsar libro i i i. qui Augustum præcessit: *Nisi nuntij de victoriâ Cæsaris per dispositos equites essent allati.* De aliis item ante Cæsarem Dictatorem, Iuli Decad. iv. lib. vi i. Titus Sempronius per dispositos equos propè incredibili celeritate, die tertio ab Amphissâ Pellam peruenit. Decad. v. lib. ii. Legati qui repente aliquò mitterentur, singula iumenta per oppida quâ iter faciendum erat, imperabant. Decad. i i i. lib. vi. Tragillanus nuntius, diem noctemq; itinere continuato. Ergo ante vtrumque Cæsarem Romæ Cursus publicus notus; & post vtrumque non adeò neglectus: seruatus sub Macrino, ut Herodianus lib. ii. sub Constantio, ut Ammianus extremo libro xx i. sub Constantino, ut in eius Vitâ Eusebius; sub Zenone, sub Anastasio, ut Cassiodorus lib. v. Variar. instauratus denique perfectissimè sub Maxæmiliano Imperatore, ut in eius Vitâ.

Iam obiter de Cursorum nominibus & cultu, hoc obseruo. Persæ vocarunt eos *Angaros* & *Aſandas*, auctore Suidâ. Prior vox etiam integra ad Græcos transiit. Eustathius in Ālio Dionys. *Ἄναποι* sunt ὁι ἐν Σιδοχῆς γερμανοφόροι: qui ex successione literas perferunt. Poterant autem hi, inquit Stephanus, obuios quoisque viatores, aut etiam eorum equos vel naues ad vſus suos deriuare, sicut etiamnum possunt Zausij seu Postæ Turcarum, quando ita res ferunt. Id quod apud nos non fit ab ipsis Postis seu Cursoribus, sed iure cuiusdam vectigalis quod *ἀγγαρεία* vocatur, inquit Brissonius De signific. verb. quo certi aliqui cogi possunt ad præstandos angaros ipsi Reipublicæ, quando est vſus. De quo vectigali Pandectæ

H 4 lib.

lib. I. De vacat. & excusation. muner. & Herodotus libro viii. Latinè vulgò *cursores* vocantur. Martialis:

Cursorem sextā tibi Rufe remisimus horā.

Tabellarij & Tabelliones passim; sicut & Veredarij. Olim verò Gerones à gerendis epistolis: apud Festum, & Bruttiani gerones. in quæ verba Iosephus Scaliger: *Hec est prima nostra conjectura de Bruttianis. sed ut ingenuè fateamur, putamus potius dictos, quia gerones literarum, & publici cursores erant.* Scribit verò Gellius lib. x. cap. iii. Bruttios Italiae populos primos descivisse ad Hannibalem; eoq; Italiam depulso, eos semper à Romanis habitos pro seruis & apparitoribus; & per contemptum vocatos Bruttianos.

Casaubonus in Notis Suetonij, vbi de Clastariis Vespasiani: *Claſtarij, non idem qui Dromonarij, sed omnino similes tamen.*

Mittendarij. in epistolâ Theodorici Regis apud Cassiodorum libro iv. *Expeditos properare mittendarios volumus.*

Postea, quod certis locis positi ad mutandos e-
quos. Eorum habitus olim erat singularis. Scri-
bit Budæus eos gessisse quoddam insigne, quod
ipse armillam vocat: *Nostrates caduceatores*, inquit,
spinthere vtuntur quæ armilla dici potest: Blasonum lin-
guâ vernacula vocant. Nescio quid velit Budæus, nisi
dicat scutulum æreum aut argenteum, cui gerunt
insculptum vrbis ex quâ veniunt insigne, quod
iuxta sinistrum humerum in pectore suspendunt.
Nostrates verò cursores præterea lituum gerunt è
cornu bubulo, cuius cantu prænuntiant aduen-
tum suum, vt interea temporis recentes equi ap-
parentur. Gerunt & scuticam capulo cauo &
stulato,

stulato, quo veluti per canalem, ne exscendere cogantur, deriuant vrinam. Olim pinnas in capite gestabant, teste Dione Cassio; idque etiam velut quidam commentator obseruat ad illud Iuuensis Satyrâ 1 v.

Anxia præcipiti venisset epistola pennâ.

& hinc πτερόδεος Græci cursores vocarunt; vt Dionysius Halicarnass. & Plutarchus in Othonem. Mos ductus fortè à Mercurij Deorum nuntij exemplo; quem non solùm ita depingere audent, verùm etiam inter Poëtas Plautus ita loqui facit Prologo suæ Amphitruonis:

Ego has habebo hucusque in petaso pinnulas.

quo loco ita Lambinus: Pinnulas, id est; pennulas. pictores enim non solùm in pedibus, verùm etiam capite, pinnas tribuebant Mercurio. Arnobius lib. vi. Mercurius pinnatus. Augustinus li. viii. De Ciuit. Ideò alas Mercurio in pedibus & capite ponunt, &c. Apuleius lib. x. De Asino: Inter comas eius aureæ pinnule. & fortè hic Cicero adspexit, cum Tabellarios Pegasos appellauit. certè Ælius Verus Imperator cursoribus pennatas alas impo-
suit; & variis eos ventorum nominibus appella-
uit pro cursus perniciitate, vt Spartanus scribit
in eius Vitâ. At ô mores temporum nostrorum!
Ita subinde cursores in reddendis literis socor-
des sunt & tardi, vt iam Mercurius alas amisisse videatur.

Galerus cursorum, *Petasus*, à latâ extensione dictus, contra cœli iniurias. vnde Suetonius Au-
gustum cap. viii. *petasatum* scribit solitum am-
bulare. nunc bardocucullis vtuntur; imò & va-
ginis quibusdam laneis & specillis ad oculos

122 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
contra arenarum volatum, & nares vultuimque
contra hybernum frigus vindicanda.

Coronâ subinde rediimiti currebant, cum latos
adferebant nuntios: ita apud Sophoclem Tra-
chiniis Chorus viso nuntio fausta adferente Deia-
niram alloquitur:

Εὐφρυνίαν νῦν ἵχ'· ἐπεὶ κατασεφῆ
Σπιρίχνδος ὄφω πνὸς ἀνδρεγεωργὸς χαράν λόγων.

cui geminus locus est apud Aristidem in Pan-
thenaico. Illud verò facetissimum est vestimenti
genus, quo Menippum Cynicum Inferorum nun-
tium indutum facit Suidas voce Φαῦλος: Furiali
habitum vtebatur, inquit, & se ab inferis inspectorem es-
se delictorum missum, eaq[ue] illò renuntiaturum esse dicebat:
fuit autem illa vestis pulli coloris ad talos usque demissa;
astricta cingulo Persico: pileus Arcadicus in capite, duode-
cim elementa (Zodiacis signa) habens intexta: calcei Tra-
gici, barba ingens, baculus in manu fraxineus.

C A P V T X V.

De occulta literarum missione.

DVPLICI artificio occultatæ epistolæ; clan-
culariâ missione, vel scriptione clandestinâ.

Missionis occulæ isthac ferè sunt exempla, or-
dine per tabellam digesto, quam anonymous qui-
dam adiunxit operibus Ioannis à Porta Neapol-
tani: quam ego etiam exemplis aliquot nondum
obseruatis augebo.

Occulta

		Excauatione viri-
		dis corticis.
	lignum	Excauatione siccii ligni, e- iusq; iteratâ oppleton.
Ratione	ouum.	
materiæ	marmor.	
occultæ	pomum , in quo	Scriptura incisa.
cui inclu-		charta inclusa.
duntur	panis.	
vel in-	placenta.	
scribun-	lepus exenteratus.	
tur epi-	fasciæ pectorales.	
stolæ,	thorax. calceus. baltheus.	
Occulta	vaginæ.	
fit epi-	cutis humana.	
stolarum	caput nuntiorum sub capillis.	
missio	candela cerea.	
triplici	tabella noua, mox cerâ oppleta.	
modo:	viscera canis.	
vel	scytale.	
	fungus.	
Tabellarij oc-	venatoris.	
culti tectâ veste,	mendici.	
	animantis alicuius.	
	terrâ, per canem.	
tectâ ra-	mari	per virinatores.
tione iti-		per milites vectos vtribus.
neris,	aëre	per sagit- literis incisis telo.
		tas epistolis telo alli-
		gatis.
		columbas.
	per aues	hirundines.
		cornices.
		Singu-

124 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

Singulorum verò membrorum iste sunt historiæ:

Viridi cortice introrsum excavato, quantum ad epistolam abdendam satis est, occuluntur ita literæ intra arbores, ut successu temporis cortex denuò cum reliquâ arbore concrescat. Cardan. De variet. rerum lib. xi. cap. lxii. ex Theophrasto.

Intra siccas tabellas aliquantulum excavatas, & glutine denuò compactas, secretissimè possunt literæ abscondi. Ioannes à Porta libro i. i. De Notis, cap. xxii.

Ovo perforato, & rursum occluso agglutinatio-ne chartæ; glutine confecto ex albumine oui, cerussâ & cerâ. A Porta ibidem.

In marmore fracto, partibus iterum iunctis, ibid.

Pomo inscriptæ literæ, ab Acontio, ut Cydip-pen deciperet:

*Iuro tibi sacra per mystica sacra Diane,
Me tibi venturam comitem sponsamq; futuram.*

Pomo includi possunt epistolæ paruo facto hiatu, qui mox suapte sponte claudatur.

Pani incoxit codicillos arbitrariis notis scriptos Laurentius Medices Florentinæ Reipub. Princeps; & per nobilem quemdam mendici habitu rectum, misit ad Regem Ferdinandum Neapolitan. iisque eum de filij salute certum faciebat. Brutus lib. viii. Hist. Florent.

Placentæ plumbeam epistolam inseruit Polycrête capta à Drogneto Duce Erythræorum, misitq; ad fratres suos. Polyenus lib. viii.

Lepori inclusit epistolam Harpagus ad Regem Cyrum, quâ eum excitauit ad oppugnandos Medos. Polyenus lib. viii. Herodotus libro i. & Iustinus.

Fasciis

Fasciis pectoralibus abdi posse, indicat Ouidius:
Conscia cùm possit scriptas portare tabellas
Quas tegat in tepido fascia lata sinu.

Calceis. ibidem:

Cùm possit soleā chartas celare ligatas,
Et vincōtō blandas sub pede ferre notas.

In Calceo item è ramis arboris appenso, Ioannes Nouius à Lusitano Rege Calecutum missus, literas inuenit Petri Atardai admonentis Lusitanos omnes, vt Calecutanum portum declinarent ob Regis perfidiam. Osorius lib. 11. Emanuel.

Thorace Tabellariorum abdidit epistolas suas Andronicus senior ad Cralem Sueviæ Præfetum. Gregoras lib. 1 x.

Baltheo abdidit transfuga quidam qui à Campanis per Romanorum castra veniebat ad Pœnos. Frontinus lib. 111. cap. xiiii.

Vaginarum interiora à quibusdam fuisse inscripta narrat Frontinus lib. 111. cap. xiiii. & Marcellin. Ammian. lib. xviiii.

Cutis humana quomodo pro epistolâ esse possit, docet Ouidius:

Hoc caueat custos pro chartâ conscia tergum
Præbeat, inq[ui] suo corpore verba ferat.

de quo ritu latè infrà, vbi de Notis encausticis.

Capiti humano sub capillis inscriptæ literæ, ab Histyeo Milesio, qui mancipio suo ægro, factâ curationis spe, capillos rasit, & capiti eius stigma-ta inscripsit; itaque postquam crines excreuissent, ad Aristagoram misit, hoc dato imperio, vt ad reliquam sui curationem se raderet. rasit mancipium Aristagoras, & capiti eius inscriptam reperit hanc sententiam: *Histyeus Aristagoræ. Ioniam*

ad

ad defectionem sollicita. Polyænus libro primo, Gellius lib. xvii. cap. ix.

Cereæ candelæ inclusam epistolam miserunt ad Buciacum Cameneciæ vrbi Praefectum Tencinius & Dreuicius Poloni per puerulum cum hoc mandato; vt quando Cameneciam puer venisset, iuberet verbis suis Buciacum ex eâ candelâ accipere lumen. Buciacus suspicatus quod erat, disfектâ candelâ epistolam inuenit, quæ magnam rebus eius lucem adferebat. Cromerus lib. xx.

Tabellæ nouæ inscripsit literas Demaratus exul ad Spartiatas; & mox eius sulcis vacuam ceram induxit. Polyænus lib. ii. cui geminum stratagema cuiusdam alterius refert Gellius lib. xvii. capite ix.

Canibus deglutiendas cum esculento quopiam literas obiiciunt quidam tempestate nostrâ, vt ex eorum interfectorum visceribus postmodum nuntius exigatur. A Porta lib. ii. cap. xi.

Scytale Laconicâ secretissima quæque olim indicata sunt. De hac ita Gellius lib. xvii. cap. ix. ex Lysandro Plutarchi: *Surculi duo erant teretes, scytalas vocant, oblonguli, pari crassamento, eiusdemq; longitudinis. Vnus Imperatori in bellum proficiscenti dabatur: alterum domi Magistratus cum iure atque cum signo habebant, &c. circum eum surculum lorum complicabant, volumine rotundo & simplici, ita ut oræ adiunctæ vndique & coharentes lori quod plicabatur, coirent. Literas deinde in eo loro periuncturarum oras, versibus à summo ad imum proficiscentibus inscribebant. Id lorum literis ita perscriptis reuolutum ex surculo, Imperatori commenti illius conscientio mittebant. Resolutio autem lori, literas truncas ac mutilas reddebat, membraq; earum & apices in partes diuer-*

diuersissimas spargebat. Propterea si id lorum in manus hostium inciderat, nihil quidquam coniectari ex eo loro quibant. Sed ubi ille, ad quem erat missum, acceperat, comparari surculo, quem habebat, capto, ad finem perinde, ut debere fieri sciebat, circumPLICABAT: atque ita literæ per ambitum eundem surculi coalescentes, rursum coibant, integratq; & incorruptam epistolam & facilem legi præstabant. Ridet meritò hanc artem Iulius Scaliger, & exercitat. CCCXXVI 1.ad Cardan. vocat *Laconica nugalia*. Athenæus lib. x. cap. XVI 1. ait ex Achæo Erythriensi vocatam fuisse *Cyrbim Spartanam*: hoc est, inquit Iunius lib. IV. Animadu. cap. XIV. quia quemadmodum in *ὑπέρεστι*, publicis videlicet tabulis, Leges exaratæ erant; ita in scytale, præcepta ad Duces & Imperatores militiae scribebantur: Spartanam verò à ciuitate. Sunt deniq; de scytale elegantissimi illi Ausonij versus, ep. ad Paulinum:

*Vel Lacedemoniam scytalen imitare, libelli
Segmina pergamei tereti circumdata ligno
Perpetuo inscribens versu; qui deinde solutus,
Non respondentes sparso dabit ordine formas,
Donec consimilis ligni replicetur in orbem.*

De fungo, Xiphilinus in Traiano: *Fungus ingens ad Traianum allatus est, in quo scriptum erat Latinis literis; Burros sociosq; omnes a Traiano petere, ut pace factâ domum reuerteretur.*

Haec tenus de celandis peregrinâ materiâ literis; nunc de astu Tabellariorum.

Harpagus non contentus literas suas in leporrem exenteratum abdidisse, misit eas præterea per domesticum suum aliquem induitum habitu venatoris, ad Cyrus regem; auctoriibus Iustino, Herodoto, & Polyxeno.

Men.

Mendici simulato habitu nobilis quidam pertulit epistolas Laurentij Medicæ ad Regem Neapolitan. Ferdinandum. Brutus suprà.

Canum pellibus vestitos, canatimque reptantes per noctem Iosephus Galilæus à Vespasiano in urbe Iotapata obfessus tabellarios cum literis misit per vigilum custodias, neque ea res, nisi serò obseruata est. Iosephus lib. 111. De bello Iud. c. viii.

Denique etiam itineribus occultandis adhibita cautio est. *Terrestri in primis itinere.* Catellam à Tingitano ciue in oppido Arzilæ relictam, Menesius ad Præfectum Tingitanum alligatis inter pilos literis, misit, hoc astu: In litore catellam verberibus multis multauit, fecitque ut ab se velocissimè diffugiens, postridie ante crepusculum staret cum literis ad portas Tingitanas. atque ita terrestri itinere tutò nuntium misit. Osorius libro 11. De reb. Emanuelis.

Scultellæ flumine per *Vrinatores* Hircius Consul ad Decium Brutum Mutinæ obfessum ab Antonio, plumbeas literas eorum brachiis alligatas misit. Frontinus libro 111. cap. xiiii. Addit Dio Cassius lib. xlv. eadem viâ à Decio literas remissas.

Vtribus verò quibus insutæ erant literæ, Lucullus gregarios milites imposuit, qui marinorum monstrorum specie velut portento quodam stationarios terrorerent, itaque ad Cyzicenos à Mithridate obfessos nuntium perferrent. Frontinus lib. 111. cap. xiiii.

Per aërem epistolæ missæ; telis inscriptæ vel alligatae. Inscriptæ; à Cleonymo Lacedæmonum Rege, dum Træzenem obfideret, hac sententiâ:

tentia : *Venio ut ciuitatem in libertatem afferam.* A Porta libro i i. cap. x x i. Alligatae telis ab Artabazo & Timoxeno , apud Herodotum lib. viii. à Cæsare cùm scriberet ad Ciceronem obsessum his verbis : *Cæsar Ciceroni fiduciam optat; expecta auxilium.* apud Polyænum lib. viii. & Dionem lib. x x x i x. ita proditum Zeuminum est Romano exercitui à propriis militibus & ciuibus. Nicetas Choniates in Annalibus.

Auium denique volatu perlatæ per aërem literæ non infreuerter. De *hirundinibus* id scribit Plinius libro x. cap. xxiv. *Cecinna Volaterranus equestris ordinis quadrigarum dominus, comprehensas hirundines in urbem secum auferens, victoriae nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes, illito victoriae colore.*

De Cornice quâ usus est Marrhes Ægypti Rex pro cursore, Alexander Neapolit.lib.i.cap.xxvii. ex Æliani historiâ animal. lib. vi. cap. vii. cuius hæc verba : *Marrha Aegyptiorum regis cornix fuit animal oppidò mansuetum & cicur, ita ut epistolas quod ille vellet, facile perferret, essetque omnium nuntiorum multo celerrima, &c. eam itaque pro huiusmodi officiis, defunctam Marrhes & columnâ & sepulchro honorauit.*

De columbis, Plinius lib.x. cap. xxxvii. *Magnis in rebus fuere internuntiae, &c. Quid vallum, & vigil obsidio, atq; etiam retia amne prætenta profuere Antonio, per cælum eunte nuntio?* Loquitur Plinius de Hirtio, qui ad Decium Brutum Mutinę ab Antonio obsessum literas mittebat per columbas, quas fame & tenebris confectas vicino mœnibus loco emittebat, ut facilius ad escam à Decio rerum concio exposi-

I tam

130 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
tam aduolarent, atque ita Decius literas eis de-
meret; auctore Frontino, lib. i i i. cap. x i i i.
Columbam item cum literis Sultanus, dum à
Gallis Venetisque obsideretur Ptolemais, eò mi-
sit; quibus significabat se tridui interuallo cum
copiis adfuturum. Sed Veneti columbam con-
spicati, militari clamore ita eam deterruerunt, vt
ex aëre delaberetur; moxque ei alligatis fictis epi-
stolis, Sultani nomine scriptis, quibus indica-
bat scilicet se obsessæ vrbi opem ferre non posse,
miserunt Ptolemaidem; quæ desperato auxilio-
rum aduentu, ante triduum se suaque hosti dedi-
dit in potestatem. Sabellicus lib. vi. c. vi. Egnatius
lib. vii. cap. iv. Columba etiam, dum Gode-
fredus Bullonius Ierosolymam obsideret, à Bar-
baris in urbem cum epistolis missa, ab accipitre
supra ipsa Bullonij castra in terram deturbata est,
literæque sub eius alis repertæ. Æmilius lib. iv.
De Iani Douzæ columbâ; quam ille ex obsessâ
Leidâ dimisit, geminum carmen, Græcum alte-
rum, alterum Latinum, scripsit Daniel Heinsius
in Manibus Dousæ.

C A P V T X V I .

De inuisibili literarum scriptione.

PARVM fuit humanæ vafritiæ mōdum ex-
cogitasse quo literæ clanculūm mitterentur;
nisi etiam tegendæ scriptionis astus inueniretur.
Igitur triplici id ratione factum est: Literis pla-
nè fallentibus aspectum, vel certis literis posi-
tis loco aliarum literarum, vel notis. De prio-
re modo h̄ic ago, qui inuisibilem facit scri-
ptio-

ptionem. Id autem fiebat his artificiis:

Nocte tantum legi possunt literæ scriptæ aquâ distillatiâ nitedularum, vel aquâ salicis putrefactæ.

Aspectum fugiunt literæ omnes scriptæ accepto, vrinâ, lacte, lacte herbæ tithymalli, adipe, sepo, pinguedine, gummi, donec puluere aspergantur; tum protinus fiunt visibiles.

Scripta item omnia succo mali citrij, cæparum, cerasorum, cyclamini, alijsve cuiuspiam pomis acris, sale denique ammonico, solo igne admoto legentur.

Gummi, sale, & calce scripta, legi non possunt, nisi papyrus in quâ scriptum est, cremetur.

Alumine aut chalcantho scripta tantum legi possunt postquam charta in aquam demersa est, aut vinum certo modo paratum.

Quædam legi non possunt nisi interposito lumine siderum aut candelæ: quædam affusâ aquâ hydrargyri; de quibus singulis latè Ioannes à Porta libro i. capite vltimo. quòd verò de lacte tithymalli interposui, habeo ex Plinio libro xxvi. cap. viii.

C A P V T X V I I .

De scriptione per transpositionem literarum occultandâ.

MIRE sibi gratulabantur veteres, insigni scilicet, ut ipsi putabant, inuento epistolarum occultè scribendarum per transpositas li-

teras: sed profectò id artificium facillimè à quo-
uis sagaciore deprehendi potest, vt non iniuriā
Iulius Scaliger Exercitat. cccxxvi i. id vocet deli-
rium, & imposturam. Referam tamen paucula
eius exempla, veneratione solius antiquitatis. Re-
centiores omnes id genus technas relinquo apud
Neapolitanum quærendas lib. i. De notis furti-
uis: quamquam Amplissimus Consiliarius Pu-
teanus epistolâ quadam ad Plouuierium de *κρυπτο-*
χεροῖς, rationem ostendit occultissimam scribendi
per transpositionem, quam nec Oedipus diuinare
possit. de quâ ita numquam locuturus fuisset Scali-
ger, vt de veterum facilī commento.

Iulius Cæsar, inquit Dio lib. xxxix. consueuerat,
si quid secreti cuiquam per literas significaret, quartum
semper elementum in scribendo, pro eo quod sumi debebat,
sumere; ne obvia literarum lectio cuius esset.

Augustus autē (verba sunt Suetonij c. lxxxviii.)
quoties per notam scribit, ponit B pro A, C pro B; ac
deinceps eadem ratione sequentes literas; pro X autem,
duplex A A. Sed hæc scriptio non rectè à Suetonio
vocatur *Scriptio per notam*, seu *per notas*, vt lo-
quitur etiam cap. l v i. in Iulio Cæsare: quia li-
teræ, etiamsi transpositæ, non tamen sunt notæ;
neque etiam per transpositas literas scribere, idem
est quod *notare*: nam quæ per transpositas literas
scripta sunt, omnino perscripta sunt; seu, vt bar-
bari loquuntur, ad longum omnibus necessariis
literis scripta sunt; notata autem, seu notis scri-
pta, compendio, & per abbreviationem (vt vo-
cant) scripta sunt. Paulus verò Iurecons. De mi-
lit. testam. & Cicero in Catil. & ipse Suetonius,
hæc duo ita sibi opponunt: *Notata, non perscripta*
erat

erat summa. quæ sunt ipsius Suetonij verba ; sicut
hæc Ciceronis : *Nondum est perscriptum Senatuscon-
sultum.* Et certa omnino res est : nam quæ notis
scribebantur, breuissimè & velocissimè erant scri-
pta ; quæ autem per transpositionem , totidem
constabant literis , quot recto ordine perscripta
constare solent , ut patet ex Probo Grammatico ,
quem Gellius libro xvi i. cap. ix. narrat feci-
se commentarium de occultâ significatione lite-
rarum in epistolis C. Cæsar. .

Igitur Varro rectius quām Suetonius scriptio-
nem hanc appellat lib. i v. *Etymolog. Tractatio-*
nem; vbi malè quidam legunt *arctationem*, vt be-
nē adnotarunt Turnebus lib. xxiv. Aduer. c. xxix.
& Scaliger Coniectan. in Varronem.

Porro D. Hieronymus commentariis in c. xxv.
Ieremiæ, meminit apud Hebreos literas ita transponi solitas, ut prima, loco vltimæ; secunda, loco penultimæ; atque ita deinceps ponerentur, censetq; ita ab Ieremiâ scriptum esse קשׁפּ, sesach, pro בְּבֵל Babel; ne Rex irritaretur in captiuos Israëlitas; quod genus illi vocant אַתְּבָשׁ athbasch. cùm videlicet Aleph א loco Tau ת ponitur, & Beth ב loco Schin ש, &c. Imò etiam planè inuersis verbis ad occultationem scribi solitum, narrat Isidorus. Utuntur autem præterea Hebræi numeris loco literarum inquit Bibliander: ut ט, pro ח, quod est nomen Dei; nam utraque literarum colligatio notat quindecim.

CAPVT XVIII.

De occultâ scriptione per notas.

MULTA sanè sunt quæ de notis longâ & curiosâ lectione obseruaui; & faciunt quidem omnia ad hanc de scriptione tractationem. Tamen ne molestior sit aut inuolutior obscuriorque ea res, dispertiar hanc omnem materiem in aliquot sequentia capita. Hic agam primùm, quid notæ sint, quando, & ad quid inuentæ.

Nota, inquit Festus Pompeius, alias significat signum; ut in pecoribus, tabulis, literis, singula literæ, aut binæ; alias ignominiam. Amplius Brisonius De signific. verborum: Notæ item, inquit, in L. 2. ff. De seruis fugit. signa, stigmata, puncta seruis inscripta atque inusta significant. Clarius dicerem: Notæ sunt, vel quælibet signa seu scriptilia elementa, ut loquitur Marcellinus; vel literæ solitariæ positæ pro signis. Duplicis enim generis notæ sunt; Notæ non literæ seu zifræ, & Notæ literæ.

De notis, seu zifris non literis, passim sunt scriptorum testimonia, qui eas vocant σημεῖα, signa, imagines, &c. Cicero libro xiiii. ad Atticum: Quod ad te de legatis scripsi, parum credo intellexisti; quia διὰ σημείων scripsi. Plutarchus in Catone & Cicerone: Σημεῖα ἐν μηροῖς καὶ βεγχέστυποις πολλῶν χρημάτων διώδειν ἔχονται. Ita signa quoque appellantur notæ ab Ouidio iv. Trist. Eleg. iv.

Scis bene cui dicam positis pro nomine signis?
ab Horat. lib. ii. Sat. iv.

— non est mihi tempus, auenti
Ponere signa. —

à Sido-

ET REI LITERARIAE ANTIQVIT. 135
à Sidonio Apollinare libro x. Comprehendebant
signis quod literis non tenebant.

Imagines vocantur à Quintiliano li. xi. cap. ii.
Zifre nunc dicuntur notæ, inquiunt Spiegel. Do-
signif. verb. Turnebus lib. xiv. cap. xxii. v. & à
Porta De furtiu. notis lib. i. cap. xiii. qui po-
stremus refert à Cicerone conscriptū esse Diction-
arium, cuius singulis verbis signa quædam ipse
præfixit, significantia id verbum cui præfixasunt.
verbi gratiā: **W** mundum, **M** modum,
I tempus signant. & hæc signa, aliaque id genus.
Apuleius lib. xi. De Asin. vocat *ignorabiles literas*;
Theodoricus Imperator apud Cassiodorum li-
bro iii. in quadam epist. li. *quasi literas*. apertè
nimirum indicantes Notas quasdam, præsertim
tales, non esse literas, sed quasi literas, & imagines
potius ac signa. Id quod ex variis item auctoribus
doctissimè obseruarunt Barnabas Brisson. docens
Notas non esse literas, ex Leg. 33. ff. Ex quib. caus.
maior. Leg. 9. §. i. ff. De hered. instit. Leg. 41.
ff. De milit. testam. & Leg. 6. in fin. ff. De bon.
possess. Quâ de cauſâ etiam à literis separantur
notæ, in Leg. i. §. Ludi. ff. De var. & extr. cogn.
& Paulus ex Pedio, in Leg. Sed cùm patron. 6.
§. fin. ff. De bon. possess. & Leg. Lucius 40. ff. De
test. milit. Petrus Gregorius ex Paulo, lib. xvi.
De Repub. cap. i. qui adfert hæc eius verba, *No-*
tas literas non esse Pedius lib. x x v. ad edictum scribit.
Franciscus Polletus libro v. De foro Roman.
cap. xxi. affirmans ex iisdem Legibus *Notas non*
esse literas. Cuiacius lib. xii. cap. x. *Notæ, inquit,*
non sunt literæ: quod ut demonstrem exemplis, Senatum
Populūm Que Rom. ita scribebant singulis: S. P. Q. R.

*notis hoc modo, σημ. Senatusconsultum per singulas
sic, S C. per notas sic, σημ. & lib. III. Obser.
cap. III. Notæ, inquit, non erant literæ, sed compen-
dia literarum. Gruterus in xc. epist. Senecæ, li. xiv.
Sauaro ad lib. I x. Sidon. epist. I x. Bernartius
ad I. Siluar. Statij, pag. XIV. Iuretus ad episto-
lam Symmachii XXXVII, lib. v. Raderus noster
in libro x i v. Martial, Epigram. ccii. Torren-
tius in Galbâ Suetonij.*

Igitur has notas seu zifras, propriè vocabimus
Sigla, vel σημ. cum Iustiniano, epistol. ad anteceſſor. §. Illud autem. 8. vetus enim Lexicon
habet σημ., & Stephanus ait se legisse σημ. in
Pandectis. Sed vt cumque scribatur in Lexico aut
Pandectis; existimo verissimam esse sententiam
Petri Gregorij Tolosatis lib. XVI. De Repub. c. I.
paragrapho 6. Sigla Latinum esse vocabulum contra-
ctum ex sigillo, quasi dicas; Siglum, paruum sigillum:
quemadmodum enim sigillum est parua icuncula, seu nota
quā literas ob signamus; ita siglum est nota quā intelligi-
tur plus esse intelligendum, quam expreſſe ad longum, ut
dicunt, scriptum sit. Id quod mihi magis proba-
tur quam quod Cuiacius scribit lib. XI, cap. x.
Sigla nimirū dici non à sigillo, sed à voce sin-
gula; tunc enim non sigla, sed singla (sicut à vin-
culis, non vicla, sed vincla) fuisse dicendum.

Iam verò aliud est genus notarum; quæ sunt
notæ simul & literæ. de his Festus suprà: Notæ
erant literæ, sed singula, vol. bimæ. eodeinque nomine
eas appellant Suidas cent. XI. prou. LXXXVII.
in Parcemiis Andreæ nostri Schotti. & Cicero
Oratione pro Murenâ, Singulas literas. Gellius,
Singularias, lib. XVII. cap. IX. Has verò singulas,
seu

seu singularias esse quidem notas, sed à prioribus illis siglis diuersas, obseruarunt Spiegelius De verbor. signific. Petrus Gregorius lib. xvi. De Repub. cap. i, Torrentius in Galbâ Sueton. & omnium accuratissimè Raderus noster loco ante citato. vbi in hæc verba concludit sententiam suam: *Auctores non pauci separant omnino literas singulas, sive que uno verbo, singula appellantur, à notis; ita ut notæ non sint literæ.* Vnde miror cur Cuiacius singulas, quæ literæ sunt, voluerit esse sigla, quæ, vt iam ostensum, non sunt literæ. Perrò hæ posteriores notæ, seu literæ singulariæ, quandoque ponebantur pro puris notis, non literis seu singulis; perinde atque ipsa sigla pro meritis signis.

Quandoque viræque notæ, & sigla nempe & singulæ ponebantur pro verbis tantum, quandoque pro totis etiam sententiis. Pro verbis tantum, vt patet ex notis à Cicerone inuentis, quæ erant notæ, non literæ: ¶ pro tempore. De singulariis autem verbi alicuius loco positis, ita Ammianus lib. xv. *Apud Aegyptios singula literæ singulis verbis seruiebant.* Sed impropriè loquitur Ammianus: non enim Ægyptiorum notæ erant singule literæ, sed sigla mera & notæ, non literæ: igitur melius, Singulæ pro verbis singulis ponuntur toto libello Probi Grammatici, quem scripsit de Notis Romanorum. verbi gratiâ, S. P. Q. R. id est, Senatui Populoque Romano. & sic etiam scribi solent omnia Romanorum prænomina. Pro sententiis integris ponebantur omnes ferè notæ Hieroglyphicæ Ægyptiorum, & modernæ literæ Sinenes, auctore Trigaultio nostro. & nota item Cabbalistarum, quoru tota in harum ex-

138 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
plicatione ars est, indeq; habet nomen Cabbala.

Fuere autem tam varia per notas scribendi artificia, ut dicat Ausonius :

*Innumeras possum celandi ostendere formas,
Et clandestinas veterum referare loquelas.*

Neapolitanus verò à Porta Notarum facienda-
rum modos cùm nouos tum veteres adfert circiter
CLXXX. in lib. De notis furtiu. Quò spectant
etiam tria illa scribendi genera, quæ Trithemius
prodidit initio lib. De polygraphiâ, Dermati-
cum, Hyphasinatum, Aleoticum: adeoque totus
liber sextus continet vigintiquatuor Alphabeta
ignota, ad usum notarum; & lib. quinto progra-
mma proponit variæ literarum transpositionis.

Vsus enim notarum olim omnibus familiarissi-
mus fuit, non insimilis modò & ancillis ipsis, ut
de quadam refert Marcellinus, quæ nomine Assy-
riæ epistolam notis scripsit ad Barbatonem Præ-
fectum peditū; verùm etiam suminis quibusque,
ut Tito Cæsari, qui solitus notis velocissime excipere,
auctore Suetonio cap. 111. & Octauio Augusto,
qui nepotes suos & literas, & notare docuit; ut monent
legendum esse Lipsius & Torrentius, pro *natare*.
Quamquam ornatissimus vir Erycius Puteanus
libello suo De natatu quem parat extrudere, ex
Græco Dionis Cassij planè me conuincat legen-
dum esse *natare*, ut olim legebatur, non autem *no-
tare*. Neque paucæ aut paruæ causæ sunt tam fre-
quentis usurpationis. Primùm enim notæ Hier-
oglyphicæ à Phœnicibus aut Ægyptiis excogi-
tatae sunt ad celanda sua mysteria, ne vulgus ita
facile in adyta sacrarum scientiarum irreperet.
Quamobrem & Persæ Magos, Indi Gymnoso-
phistas,

phistas, Celtæ Druidas habuere mysteriorum suorum interpres, quæ plebi proposita esse nobebant; sicut & Hebræorum Legem fuisse scribit D. Gregorius Nazianzenus in *Apolog.* fugæ sue, quâ libos sacros vulgo communicari vetabant. Imò Romani huius rei gratiâ Notarios adhibebant, auctore Suidâ: Τὸν ἀπορρήτων γραμματέα, τὸν κρῆτης γλεῦσ τὸ ἀζίωνα Ρωμαῖον. id est: *Scribam qui notat res, quas non licet propalare, à Secretis vocant, quæ dignitas est apud Romanos.* Et Trithemius scribit, Ciceronis Lexicon De notis, à diu Cypriano auctum, ut Ecclesiasticis iuxta prodebet atque profanis ad arcana celanda. Hebrei vero teste Bibliandro, eo scribendi genere plurimum vtuntur, quo initialis sola litera ponitur loco totius dictioñis; vocantque *Raschei theborh*, hoc est, *Initia dictioñum*. Ita etiam Iurisperiti ad tegendos astus suos, inquit Cicero pro Murenâ, notas inuenierunt, ne plebs sciret quibus diebus fas nefasve esset Lege agere: *Irati, inquit, Iureconsulti, ne dierum ratione peruvlgata & cognitâ, sine suâ operâ posset Lege agi, notas quasdam composuerunt, ut ipsi omnibus in rebus interessent.* vnde Manilius de Notario:

— Hic Legum tabulas & condita Iura
Nouerit, atque notis lenib[us] pendentia verba,
Et licitum sciet & veitum.

In pecude vero, seruis, & milite, stigmatum nota ad internoscendum inuentæ sunt; sicut & note Grammaticorum seu positure, obeli & asterisci: in communi autem scriptione ad breuitatem & celeritatem, & secreti cautelam, ut notauit Ioannes à Porta lib. I. cap. II. III. & IV. De breuitate, testatur Solinus cap. VI. narrans Iliadem totam

totam notis scriptam adeò fuisse breuem, ut nucis vnius testulis geminis tota clauderetur. quo in artificio excelluisse Myrmecidem Milesium, & Callicratidem Lacedæmonium, scribit Ælianuſ lib. i. Variar. hist. quos fama fuit in sesamo (quod minutissimum genus est seiminis, simile milio aut panico) distichon vnum Elegiacum aureis literis scripsisse; sed per notas & signa, inquit Henricus Salmuth comment. in Pancirollum. Ingeniosius tamen Bauhusius noster lib. 111. fol. 55. de Iliade ludit ad Paul. Palmerinum :

Iliadem magnum paruā in nuce Paule videbis,

Hac duo si patiens carmina nostra legis.

Atrida gemini, Laertius, Hector, Achilles,

Aeneas, Priamus, Troia, Lacana, Paris.

Ilias en nuce clausa vnā est: nisi, Paule, negabis,

Aut hanc Iliadem, aut carmina nostra nubes.

Celeritatē autem scribendi per notas refert Aūsonius fuisse tantam, vt Notarij ferè praeuerterent dictantium verba, Epigram. cxxxviiii.

Puer notarum præpetum

Sollers minister aduola

Eipatens pugillar expedi, &c.

Euoluo libros vberes,

Instarq; densæ grandinis

Torrente lingua perfstrobo.

Tibi nec aures ambigunt,

Nec aucupatur pagina,

Et mota parcè dextera

Volat per æquor cereum.

Cum maximè nunc proloquor,

Circumloquentis ambitu:

Tu sensa nostri pectoris

Et

Vix dicta, iam ceris tenes, &c.

Et præpetis dextra fugā

Me tu loquentem præuenis?

Quis, oro, quis dixit tibi

Quæ cogitabam dicere?

Quæ fulta corde in intimo

Exercet ales dexteræ &c. Nec absimiliter, sed breuius Martial. lib. xiv. Epigram. ccii.

Currant verbalicet, manus est velocior illis;

Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Quæ si fortè sint hyperbolice dicta, at saltem sine ampullis & vento dicta sunt illa Boëtij lib. v.

Vt quondam celeri stylo

Mos est æquore paginae, &c.

Illa Sidonij lib. ix. Epist. ix. Tribuit & quoddam dictare celeranti scribarum sequacitas saltuosa compendium.

Illa Senecæ ad Lucil. Epist. xc. Celeritatem lingue manus sequitur. Illa Prudentij de Cassiano:

Raptimq[ue] punctis dicta præpetibus sequi.

Illa D. Hieronymi lib. iii. comment. in Epist. ad Galat. Notario dicto aut quidquid in buccam venerit; aut si paululum voluero cogitare, melius aliquid prolatus, tunc me tacitus ille reprehendit, frontem rugat, manū contrahit, & se frustra adesse toto gestu corporis contestatur. Insignis sanè, & percommoda scribendi velocitas: quam tamen, quantacumque fuerit, dicendi copiâ arque impetu præuerit Proæresius, qui (vt de eo narrat Eunapius) tantâ celeritate perorabat, vt Notarios præcurreret; verbis tamen ita conceptis, vt cum ingenti omnium admiratione, eamdem quam ex tempore habuerat orationem, denuò absque omni hallucinatione integrum recitaret. Omnia item etiamsi pernicissimas manus retardauit

Orige-

Origenes Adimantius, qui septem notarios vi-
cissim scribentes lassabat; vt de eo scribit Euse-
bius lib. v i. cap. xvii.

Quod ultimum est huius capituli, de notarum origine est; in qua, vt in literarum origine, video plerosque hallucinatos esse. Sanè non scio quis ante Mattheum nostrum Raderum eā in re veritatem attigerit. Alij enim notarum inuentionem Mæcenati & eius liberto Aquilæ tribuunt; inter quos est Dio lib. lv. Ciceroni sub tempore Ca-tilinariæ coniurationis Plutarchus assignat. Eu- sebius in Chronico adscribit Tironi liberto Ci- ceronis: Seneca Mæcenatis & Ciceronis seruis. Isidorus lib. i. cap. xxii. & ex eo à Porta libro i. De notis furtiū. cap. i i i. Ennio vt primo au- ctori acceptas fert huiusmodi notas mille & cen- tum; quas post auxerit Tiro, deinde Persannius Philargyrus, & Aquila libertus Mæcenatis, de- nique Annaeus Seneca; ita vt numerus excreuerit ad quinque notarum millia. Ego, post quam expendere cœpi illum versiculum Dauidis Psal. xli v. *Lingua mea calamus scribæ velociter scri- bentis.* postquam excutere cœpi antiquitatem Hi- roglyphicarum notarum, non aliud potui suspi- cari, quām longè antiquius notarum originem esse indagandam. neque tamen primus id aude- bam apertè affirmare, donec comperi Patrem no- strum Raderum, & ex eo Patrem etiam Lorinum in Psal. xliv. id docuisse. pretium operæ erit au- dire Raderi verba: *Multis annis ante Ciceronem Iu- dæa notarum videtur artem inuenisse; captata ex Danielis interpretatione huius compendij occasione. Daniel enim illa cœlesti dígito exarata verba, Mane, Thecel, Phares, sic est*

inter-

interpretatus, ut singula verba singulas obseruarent orationis sententias. Magistri ergo & Diuinarum literarum interpres genus inde interpretandi nouum inuenierunt, quod Cabballisticam appellant; quā non tantū sententias & integras Scripturæ diuinae orationes explanant, sed etiam syllabas, & singulas quasque literas separatim expendentes, quasi lateat in singulis aliquid mysterij, excutiunt, &c. & conjectura est, hinc à Iudeis manasse rationem hac methodo non interpretandi tantum, sed & scribendi.

Igitur pro veriori hanc sententiam amplectemur, donec à quopiam certius refutetur. neque enim contigit mihi hucusque videre Octauianum Ferrarium, qui in Originibus suis Romanorum fertur quædam de notis attigisse.

C A P V T X I X.

Quām varia notarum genera? ac primò, de notis seruilibus seu stigmatibus Threiciis.

CA V S S A M accuratè tractandi hanc materiam præbuit mihi Isidorus libro primo, capitibus xxii. xxii. xxiiii. & sequentibus, agens de variis generibus notarum.

Diuido igitur notas in Seruiles, Pecuarias, Iuridicas, Iudicarias, Suffragatorias, Censorias, Tesserarias, Sortiarias, Graminaticas, Arithmeticas.

Seruiles notæ sunt, quas Cicero Threicias appellat lib. 11. Offic. hoc est, stigmata seu signa quibus seruorum vultus aut manus inurebantur, ut scribit Artemidorus libro primo Onirocrit. Threicias autem vocat; quia, etiamsi apud Thraces,

ces, eiusmodi notæ erant insigne nobilitatis, non seruitutis, auctore Herodoto lib. v. & Boëtio prosa iv. (quemadmodum & apud Dacos & Sarmatas, ut Plinius scribit lib. xxii. apud Britannos item, ut testatur Herodianus lib. iii. qui tota corpora pungebant) tamen à Thracibus ad pistrinenses, ad ergastulos, & ad fugitiuos venerunt, pro signo infamiae & probri. Vocantur hæ notæ diuersimodè apud diuersos. Apud Senecam i. De Tranquill. seruiles literæ; apud Boëtium libro i. Ciceronem ii. Offic. Ausonium epist. xv. Valerium Maximum lib. vi. cap. viii. vocantur *notæ*. Plinius in Panegyr. vocat *notas & puncta*. Vocantur *stigmata* à Suetonio in Caligula cap. xxvii. à Senecâ lib. iv. De Benef. à Quintiliano lib. vii. cap. iv. à Iustiniano Leg. iii. De fabricens. lib. xi. à Scribonio Largo cap. ccxxxi. ab Herodiano lib. vii. Columella in Hort. appellat *signa fororum*, vel, ut ingeniosè Scaliger, *signa fugarum*. Similiter hinc serui nominantur *stigmatæ* à Nonio & Cicerone, item *notis compuncti*. *στρῖψες καὶ στρυματαὶ* à Polluce lib. iii. cap. viii. de Seruis. *Varij attagenes* ab Aristophane in auibus, propter maculas, opinor; sicut *Istriani* à more gentis illius quæ se punctis inurebat, inquit Cælius lib. viii. cap. xxxi. & *populus Samiorum*, *Σαμιῶν ὁ δῆμος*, apud Suidam ex Aristophane. quia, inquit Suidas, dicunt Samios ab Atheniēsibus captos noctuā, Athenienses verò à Samiis samenā (hoc est, biremis vel numi charactere) à Syracusiis autem equi imagine fuisse compunctos: sicut hodieque fures insignibus virbium, in quibus plectuntur. Ex quibus appetet, tripli-

triplicis ferè generis fuisse hasce seruiles notas; nimirum vel puncta, vel imagines, vel literas. De literis enim Seneca suprà laudatus; Seruiles literas. & hinc scribere apud Vlpianum, est notam inuovere, in Instit. tit. i. & Leg. xvi. Cod. De pœn. vt Briffonius obseruat lib. De signific. verb. & quatuor inscripti, apud Martialem: *Vultus scriptus*, apud Ausonium & Plinium. *Inscripta ergastula*, apud Iuuenalem Sat. x i v. Literati, apud Plautum & Apuleium. *Calati*, apud Propertium lib. iv. Adeoque literis illis causticis, crimen ipsum vulgo exprimebat. Plato viii. de Legibus: *Si quis sacrilegium commiserit, &c. in facie manibusq; crimen inscriptus, & flagellatus, extra fines patrios proniciatur.* & quidem non paucis literis; sed quandoque perscribebatur crimen per totum vultum. Petronius in Satyr. Impleuit Eumolpus frontem vtriusque ingentibus literis, & notum fugitiuorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit. Erat id Epigramma fortè huiusmodi, inquit Lipsius: *Cave à fugituo.* Ita quoque Zonaras iii. Annalium, duos monachos (quod liberiùs Theophilum Imperatorem monuissent) Epigrammate duodecim versuum conscriptos fuisse narrat. Et D. Ambrosius lib. De virginit. refert, iuuenem quemdam cum propter admirandam oris pulchritudinem, in amorem incenderet feminas, vultum exarasse stigmatibus, ne qua eum amare posset. Quamquam communius, non totæ sententia, sed singulæ tantum literæ imprimebantur; vt K, Kalumniatoribus; ita enim olim Kalumniam scribebant, vt Lipsius obseruat ii. Elect. cap. xv. Et de hac Kalumniatoriâ notâ Cicero pro Rosc. Amerin. *Crura quidem nemo vobis suffringet; sed si ego*

K

hos

hos benè noui , literam eam cui vos vsque èd inimici estis, &c. ita vehementer affigent ad caput. Quem locum egregiè explicat Turnebus. Ita D, delatori- bus, T, furibus, apud Lucianum, & Polyd. Vir- gilius lib. xxvi. Histor. Angl. qui scribit ab Hen- rico VII. esse statutum , vt furibus (qui Theefe vocantur) T inureretur in palma sinistræ manus sub pollice : homicidis verò (quos appellat Mur- dure) M. quam consuetudinem docet à Gallis esse sumptam. At ego , si primam originem quæri- mus, scio eam manasse à Syris , qui stigmata ma- nibus aut certicibus, non frontibus inurebant; vt narrat Lucianus in Deâ Syriâ; & hanc manum inscriptionem, inter pœnas omnes, solam retinuit Constantinus Imperator, vetitâ vultus inustione, sic scribens ad Eumelium : Si quis, &c. fuerit pro cri- minum qualitate damnatus, minimè in eius facie scribatur, dum & in manibus & in suris posset pœna damnationis vna scriptio comprehendendi ; quò facies , quæ ad pulchritudinis cœlestis similitudinem est figurata , minimè maculetur. Leg. 11. de pœn. Cod. Theodos. Sed hanc piam sanè Constantini Legem antiquauit Theophilus Iconoclasta , inustis denuò vultibus sanctorum martyrum Theophanis & Theodori , vt refert Cedrenus. Verùm vt illud obiter addam; non seruis modò aut reis, sed etiam militibus aliquan- do, & sacris etiam hominibus huiusmodi literæ fuere inustæ. De militibus Aëtius lib. viii. capi- te x i . Στήματα κελεῖσθαντα τὰ δημιουργοῦσαν οὐδὲ μέρες τῶν σώματος ὅπιοι εργάσιμα, οἷα τὸ σεγετούμενον ἐν τοῖς χερσὶ. & Vegetius lib. 1. cap. viii. Sed non statim punctis signorum scribendus est tiro . libro 11. cap. v. Nam victuris in cute punctis milites scripti. Quæ puncta

Lipsius

Lipsius lib. i. De milit. cap. vltimo, ait fuisse notas nominis Imperatorij, ex testimon. Chrysost. ex Cod. De Aquæduct. & Cod. De fabric. quas omnes auctoritates in eam rem anteā attulit Turnebus libro xxiv. cap. xii. De sacris hominibus auctor est Prudentius:

*Quid cùm sacrandus accipit sphragitidas?
Acies minutæ inserunt fornacibus,
His membra pergunt vrere; vtq; igniuerint,
Quamcumque partem corporis feruens nota
Stigmarit, hanc sic consecratam prædicant.*

Porrò hoc supplicij genus Seneca lib. iii. De Irâ, cap. i i i. vocat *Inscriptionem frontis*. Ferrum verò quo siebat inscriptio, Palladius & Hippocr. καυτηνερον appellant, Lucianus & Plutarchus καυτηνειον. Notam ipsam inustam Plato in Timæo, ξυκαυμα: vnde εγκαυσοι apud Martialem libro i v. Epigr. XLVII. apud Athenæum lib. iii. sub fin. ex poëtâ quodam Asio, de Cnifolæcho:

Claudus, notis compunctus ac inustus.

& lib. vi. ex Diphilo:

*Inustum punctis frontem capillo obuelat.
apud Valerium Max. lib. vi. cap. viii. Seruus
inexpiabili notâ per summam oris contumeliam inustus.
apud Iuuenalem:*

Vritur ardenti duo propter linteæ ferro.

Denique post inustionem, atramentum subinde causticis fulcis infundebatur. ita apud Zonaram suprà monachis illis non solum Iambi inusti, sed & atramentum in notas infusum est; quemadmodum & fugitiuis illis in Satyr. Petronij. Quæ res fortè originem habet ab vistoriâ arte, seu καυστηνη, quâ pictores omnicolorem ceram lique-

148 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
factam in strias infundunt, dum pingunt; aucto-
ribus Plinio lib. xxxv. cap. xi. & Varrone li-
bro iii. De re Rusticâ, cap. xvii. & Ouidio
iii. Fastorum:

Quiq; moues celum, tabulasq; coloribus vris.
iv. Fastorum:

— & picta coloribus vslis

Cælestem matrem concava puppis habet.

Anacreonte item:

Si fert & ipsa cera,

Vnguenta pinge olentes.

vnde hoc artificium *περιγραφιαν* appellat Callixen.
apud Athenæum lib. v. & Turneb. lib. viii. ca-
pite ix. Cauteria, inquit, sunt, quibus pictores olim
ceris pingentes, picturam tabularum inurebant. vide
eumdem lib. xxiv. cap. xvi. lib. xxix. cap. xiii.
& Isidorum lib. xx. cap. vltimo; qui characterem
coloratum vocat, stylum ipsum vñtorium. Mo-
net autem Raderus noster in Martial. lib. iv. Epi-
gram. xxxvi. hoc picturæ genus in nauibus, nec
sole, nec sale, nec vento corrumpi.

C A P V T X X.

De notis pecudum.

Vt hominibus ad pœnam aut notitiam, ita
etiam pecudibus ad internoscendum eas
inscriptæ notæ.

Signare, ait Festus, *significat*, etiam pecora signis no-
tare. alibi: *Dignorant*, *signa imponunt*, ut fieri solet in
pecoribus. vbi sic Scaliger: *Glossarium*, dico*rat*, *dia-*
gnōσται; *lege dicnorat*. Ita etiam Næuius apud Pri-
scianum lib. vii.

Signare oportet frontem caldā forcipe.

Cal-



Calpurnius in Bucolicis :

Impressurus oui tua nomina. —

Virgilius i. Georgic.

Aut pecori signum, aut numeros impreßit aceruis.
& 111. Georgic.

Continuoq[ue] notas & nomina gentis inurunt.

Anacreon :

Equi solent inustum

Coxis habere signum.

Meminit eiusdem ritus ex Ariano Titius lib. vii.
loc. cap. x x. docens , *Sibas Indorum gentem consue-
uisse bubus clavae notam inurere, in Herculis memoriām,
qui illuc penetravit. & hoc spectauit Ausonius in
Alexandriā, ut notat Scaliger :*

— *illa Seleucum*

Nuncupat, ingenuum cuius fuit amphora signum,

Qualis inusta solet generis nota certa. —

vbi ingenuum signum (quod est à naturā scilicet
inditum) opponit signo inusto.

Suidas , prope Phasidem , narrat equis soli-
tam inuri Phasianam auem : & Sisyphum quem-
dam solitum vngulis suorum animalium , sin-
gulas literas inscribere. Athenaeus item libro xi ,
ex Aristophane in Nubibus scribit equos, quibus
 Σ inscriptum erat , vocatos *σαμφόρες*: sicut & ab
eodem equi vocantur *νόπτατιαι* , quibus *νόπτη* seu
καττά inurebatur ; vt referunt Cælius & Stephanus
ex Eustathio & Hesychio. Sed hunc utrum-
que & illos item falli , verè ostendit Scaliger in
Notis Eusebianis , ex Alphabeto Ionico vetere ,
& Phœnicio : vbi post literam Π , hæ notæ ,
non literæ , Θ Λ : *δησιουν σάνη* , vel *Σάνη Πῖ* ,
vel *ἀντοτύμα Πῖ*; vel *δησιουν εὐρεακόνα*. Hæc enim

K 3

nota,

nota, Τ, nongenta significat; à quâ equi quibus ea inusta, vocantur σαμπέραι καὶ σαμφόραι, vel σαπόρεαι, quemadmodum & κοππατίαι, quibus Kophe seu Koppa inustum; non autem χαππατίαι: Κόπται enim & Κάππαι valde distant.

Instrumentum quo notæ hæ imprimebantur, Cælius ait vocatum esse τρυστίππον, vel ἵππον τρυχὸν, quod erat velut rotula, quæ candens malis equorum inurebatur. Isidorus lib. x x. vltimo capite vocat χαρακτήρα, & ferrum coloratum, quo pecudibus notæ inuruntur. Sed & victimæ immolandæ cultro notabantur in fronte, vt Scaliger scribit epist. postumâ ad Puteanum; vnde Herodotus & Diodorus ἀτραπάζιτον vocant victimam, cuius frons nondum cultro signata est.

C A P V T . X X I .

De notis Iureconsultorum.

SCRIPT de hoc argumento libellum integrum Magno ad Carolum Regem, his versibus dedicatum:

Hac Iuris σημεῖα lubens Rex accipe Carle,

Offert deuotus qua tibi Magno tuus.

Non est instituti mei huc adferre earum exempla; qui volet, ad libellum illum adeat, quem simul cum veteribus Grammaticis excusum nuper uno Tomo ediderunt quidam de literis benemeriti. Illud tantum moneo, bono fuisse fine eas notas inuentas, sed in Iurisprudentię libris longè perniciosius quam in vllis aliis disciplinis usurpatas, quorumdam Leguleiorum fraude rem optimam pessimè auertente. Tot enim, temporis successu,

ex

ET REI LITERARIÆ ANTIQVIT. 151
ex hisce notis earumq; augurandâ significatione extitêre circumuentiones, vt Iustinianus Imperator Lege sanxerit, ne quis iis omnino in Iure vteretur, sed omnia perscriberentur. Lib. 1. Cod. titul. 17. De veteri iure enucleando, Lege primâ: Ne per scripturam aliqua fiat in posterum dubitatio, iubemus non per siglorum captiones, & compendiosa ænigmata (quæ multas per se & per suum vitium antinomias induxerunt) eiusdem Codicis textum conscribi, etiam si numerus librorum significetur, aut aliud quidquam. Nec enim hæc per specialia sigla numerorum manifestari, sed per literarum consequentiam explanari concedimus. & eodem titulo Leg. 2. Eamdem pœnam falsitatis constituimus aduersus eos qui in posterum Leges nostras per siglorum obscuritates ausifuerint conscribere. Omnia enim, id est, & nomina prudentium, & titulos, & librorum numeros, per consequentiam literarum volumus, non per sigla manifestari; ita vt qui talem librum comparauerit, in quo sigla posita sunt, in quocumque loco libri vel voluminis, sciat inutilis se esse codicis dominum: neque enim licentiam aperimus ex tali codice in Iudicium aliquid recitari, qui in quacumque sui parte siglorum habet malitiam, &c. Quod etiam ante Iustinianum in Oriente sancitum à Basilio Imperatore lib. 11. Iuris Oriental. num 11. titul. Περὶ τῶν οὐρανῶν τὸν ἀριθμὸν. vbi imperat loco notarum arithmeticarum, reponi literas quas etiam rustici facile legere possent. Quâ Lege ferendâ quam benè de posteris meriti sint Imperatores, ita commendat Foquelinus, titul. Instit. De vulg. substit. *Quis*, si eiusmodi velut stigmatum notis deformatos Iuris veteris libros Iustinianus ad nos transmisisset, earum se si laqueis expedire potuisset? aut quis illis reddendis exprimendis q̄, litium altercationum q̄, finis fuisse; cùm

in earum interpretatione Trebonianus ipse frequenter h̄as-
sisse deprehendatur? id quod pr̄ter Foquelinum
multis exemplis demonstrat Ioannes Thomas
Freisius in ep. Pand. Planè vt non inscitè Italus
quidam Piouæno Arloto, in facetiis vulgari lin-
guâ editis (cùm in Prouerbium abiisset, *Et cetera*
Notariorum) rogatus, quid quotidie Deum oraret?
responderit, orare se quotidie tria: Primò, *Seignor*
mio, guardate me da furia de villani. Secundò, *Da gua-*
zambaglio di Medici. Tertiò, *Da gli & cetera de Notai.*
Notarij enim per vnam aliquam huiusmodi no-
tam, &c. res s̄apè significant diuersissimas; vt ap-
paret ex lepidissimâ illâ historiâ, quam Rutilius in
vitâ Rutilij Iureconsulti narrat his verbis: *Scaurus*
absolutus criminē ambitus, in Rutilij accusatoris sui tabulis
ostendit has literas, A. F. P. R. easq; sic interpretabatur,
Actum Fide Publij Rutilij. Rutilius contrà, sic: Antè Fa-
ctum, Post Relatum. C. Cannius verò, qui Rutilio aderat,
exclamauit neutrum significari; sed illud: Aemilius Fecit,
Plectitur Rutilius. Cui gemina est illa Æsopi diui-
natio ex literis cippo inscriptis, ter ingeniosissimè
variata, vt scribit Planudes in eius vitâ. quemad-
modum & illud Sibyllinum, *Salua Populum Quem*
Redemisti; tandem ad Romanam Rempublicam
est translatum hac formulâ: *Senatui Populo Que Ro-*
nomo. Quanto autem damno & periculo in re
pr̄sertim pecuniariâ fuerit usus notarum, vel il-
lo apophthegmate manifestū est, quod Macrobius
inter iocos Augusti refert lib. II. Saturnal. his ver-
bis: *Solebat Licinius libertus eius inchoanti opera patrono*
magnas pecunias conferre: quem morem secutus, centum
promisit per libellum, in quo virgulæ superductæ pars ul-
tra pecunia defctionem protendebatur, vacante infrâ loco.

Cæsar

Cæsar occasione vſus , priori alterum centies ſuā manu iunxit , ſpatio diligenter expleto , & affectatā literā ſimilitudine ; geminatamq; accepit ſummam , diſsimulante liber- to : qui poſteā cœpto alio opere , leniter factum ſuum Cæſari obiecit , libello tali dato : Confero tibi , domine , ad noui ope- ris impensam quod videbitur .

Porrò etiamsi ſeueriſſimè notarum vſu Iure- consultis à Iuſtiniano Cæſare fuit interdictum ; non tamen illud vñquam effici potuit , vt duæ il- læ notæ ff & **D** à Iurisprudentiæ libris exu- larent . Prima apud noſtros Iureconsultos ſigni- ficat Digesta , vel etiam Pandectas , inquiunt Ioan . Coraff . lib . v . Miscel . Iur . cap . xv . & Alciatus , qui refert apud veteres pro hac noſtrâ notâ ff , ſolitum ſcribi hoc ſiglum $\tilde{\pi}$, π cum accentu cir- cumflexo ; vnde tandem formatum ab indoctis librariolis ff . Digesta autem eodem Pandectarum ſiglo fuiffe ſignificata , quod Latini olin Di- gesta , Pandectarum nomine complectebantur . At anonymous quidam interpres Ioannis à Porta ſcribit Digestorum notam , antiquitus non fuif- fe $\tilde{\pi}$, ſed **D** vel **B** , Delta confixum veru curuo , vel lineā rectā ; quales viſiuntur in nummis . no- tam autem illam neotericam ff corruptam eſſe non ex $\tilde{\pi}$, ſed ex θ , quā literā notabant Thema- ta Iuris , vt ea vocari cœperunt , poſtquam à Con- ſtantino Romani Imperij ſedes tralata eſt in Orientem , indeque orta Iurisprudentia Græca .

CAPVT XXII.

De notis Iudiciariis.

IN grauioribus caussis Iudices non pronuntiabant sententiam de tabulis, sed eam in iis notabant, teste Ascon. in Diuin. Verrin. Singuli, inquit, Iudices sententiam de tabulâ pronuntiarunt in leuioribus caussis; & ob id neque notâ, neque custode opus fuit. Item docet Sigon. lib. 11. de Iudic. cap. xxii. Prætor Iudicibus tabellas dabant, & ut sententiam ferrent, in concilium mittebat. Mittere autem in concilium, erat, iubere illos ad vrnas ire, atque in eas, tabellas sententiam continentes coniucere. Vrna verò, siue cistæ, tot fuerunt, quot Iudicium ordines qui iudicarunt: tres quidem cum omnes adhibiti sunt; una Senatorum, altera Equitum, tertia Tribunorum æriorum. Tabelle verò quæ datæ erant Iudicibus, quarum unam in urnam mitterent, erant tres: una abolutionis, altera condemnationis, tertia ampliationis; et quæ omnes ceratae erant. Nota ab solutionis fuit A. condemnationis, C. ampliationis, N.L. Non liquet.

Igitur hæ tres præcipuae Iudicium notæ. nam Suetonius præter hasce tres tabellas scribit capite xxxiiii. ab Augusto, cum de falso testamento ageretur, non tantum damnatoriam & absolutoriam cognoscientibus datum esse; sed tertiam quoque, quæ ignoscatur iis quos fraude ad signandum vel errore inductos constitisset. cuius tabellæ nota non potuit fuisse vlla ex præcedentibus, sed fuerit fortasse I. id est, Ignosc. Crinitus etiam lib. vi. cap. vi. scribit & fuisse etiam condemnationis notas; nam n. Græcum, est Latinorum C, significans καταδικάσειν, quamquā Britannicus Perlīj commentator scribit n. fuisse

non fuisse notam absolutionis, & significasse καλὸν,
id est, pulchrum. θ autem significat θάνατον, id est,
mortem. vnde Martialis lib. vi. i. Epig. xxxvi.

Nostri mortiferum Praetoris Castrice signum,

Est opera pretium discere Theta nouum.

& Ausonius in Eunum Epigram. c x x.

Miselle doctor, & tibi sit obsceno:

Tuumq[ue] nomen Theta sectilis signet.

vbi Scaliger: & erat signum suspendij, refert enim laqueum collo inuolutum: θ, litera condemnatoria. quin & in castris militem ex cohorte morte disponitum, haec nota significabat. Quod postremum Isidorus scribit libro i. Etymolog. addens è contrario per T in militiâ significari superstite, sicut mortuum per θ. Quare Romanis hospitalis litera erat T, quam Tribuni plebis, auctore Valerio Maximo, Senatusconsultis, quorum ipsi aut populus fundus factus erat, subscribebant. Erat & felix litera apud Hebraeos, vt constat ex Ezechielis cap. ix. *Omnem super quem videbitis Tau, ne occidatis.* De quo videndi, D. Hieronymus in eum locum & in c. lix. Gretzerus cap. li. de Cruce, Foquelin ad iv. Satyr. Persij, Brodæus lib. i. & Christianus cui nostri Martialis, qui ita cecinit lib. iii. Epigrammatum, pag. 58.

In felix multis Theta est; mihi litera felix,

Si θάνατον scribit, scribit & illa θεόν.

De aliis præterea absolutionis & condemnationis notis apud Suidam hæc reperio: Μακρὰ γραμμὴ οὐ ταῦ θνάτου, &c. Longa linea condemnationem, breuis absolutionem significabat. De quibus forte Plautus capiendus, cum longam quandam literam infelicem vocat; quam alij aiunt esse I, alij L, alij

156 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

alij, vt Asconius & Cælius, T. Vt vt sit, absolutionis literam, Cicero pro Milone, vocat *salutare*; condemnationis verò *tristem*; sicut Liuius, *tristorem*. Porrò pro hisce Iudicariis literis, alibi calculos, nigrum, condemnationis; album, absolutionis; usurpatos fuisse scribit Aristoteles in Problem. & Ouid. lib. xv. Metamorph.

*Mos erat antiquis, niueis atrisq; lapillis,
His damnare reos, illis absoluere culpa.*

Aut fortè cretā & carbone siebant notæ; vt aperte Horatius II. Serm. Satyrā III.

*Quorsum abeant sani? cretā an carbone notandi?
Et Persius Satyrā v.*

*Quæq; sequenda forent, & quæ vitanda vicissim,
Illa prius cretā, mox hæc carbone notasti.*

Quâ de re hæc accuratè obseruauit Iunius lib. II. Animaduers. cap. v. Testulis in vrnam coniectis, si sex millium numerum explerent, reus solum vertere cogebatur, quod ὅσερνιουον appellabant, &c. Neque illud reticendum est; veteres loco calculatorum Iudiciorum usus fuisse conchulis marinis, quos Χειρίας vocabant, vt testatur Pollux libro VIII. ad quarum modum postea fabricatae fuerunt æneæ, quas οὐρδύλιαι & θευτοὺς nominarunt. Porrò Iudicum calculi duplices fuerunt, vt ex Vlpiani Annotationibus in Demosthenem constat; quidam perforati & nigri, qui condemnabant; alijs qui absoluebant, albi & integri. Duas verò vrnas, priorem mortis, posteriorem misericordiæ appellatam annotatur ab Aristophanis Scholiaste in Vespis.

CAPVT

C A P V T X V I I I .

De notis Censoriis.

PROVERBIO nobiles sunt Censorum notæ: non solūm si per notam, intelligas ignominiam, ut Festus accepit; sed etiam si pro notâ, singulum capias, aut literas singularias. Vnum Liuum testem laudare possum lib. x x x i x. cuius verba apertè de notis propriè dictis; cùm omnium ferè aliorum testimonia magis faciant pro notâ ~~metaphoræ~~ significante infamiam. Sic habet Liuius: *Patrum memoria institutum fertur, ut Censores motis à Senatu adscriberent notas.* Quamquam & Suetonius satis clarè scribit, Claudium adhuc Censorem, rogatum ut notam alicui appositam deleret; respondisse, Ita tamen ut maneat litura: vbi manifestè alludit ad notam à Censore scriptam. Hinc celebrantur Cæritum tabulæ vulgari adagio: apud Horatium lib. i. Epist. vi.

— & Cærite cera

Digni. —

Erant eæ tabulæ, in quas à Censoribus referebantur ij qui fuerant priuati suffragio. Quemadmodum Cærites primi quidem fuerant facti Romanorum municipes, sed sine iure suffragandi, ut auctor est Gellius. Extant & apud Græcos moris non absimilis quædam vestigia, cùm nempe improborum nomina ad infamiam in publicis columnis adnotabant; vnde *συλοκοτεῖν* Hesychio est idem quod infamia notare. & apud Athenæum lib. vi. Polemon quidam vocatur *συλοκοτας*, hoc est, columnæ ad probrum inscriptus.

C A-

CAPVT XIV.

De notis Suffragatoriis.

Ex quo, Consulibus Mario & Flacco, perlata est Lex tabellaria à Luc. Cass. Longino, De suffragiis non voce aut hastarum sonitu, aut *χειρο-*
νίᾳ, sed tabellā ferendis, cœperunt notæ suffragiorum: vt appareat ex Cicer. lib. 111. de Leg. oratione pro Planc. & in Rullum. Erant verò eæ notæ, aut puncta, aut singulæ literæ. Ratio autem suffragandi talis, vt scribunt Turnebus, Tiraquellius, Gruchius, Budæus in post. Adnot. ad Pand. Comitia habebantur in Campo Martio, intra locum tabulis depalatum, quem Septa & Oulia ab ouilis similitudine vocarunt. Ouid. I. Fastor. Iuuenal. Satyrā v I. Martialis lib. 1x. Epigr. 1x. Strabo lib. v. Liuius Decad. 111. lib. vi. Plinius lib. xvi. cap. iv. Suetonius Augusti cap. XLIII. Ausonius in Panegyr. Tum Rogatores obibant centurias vel tribus (iam enim curias à Romulo institutas Rex Seruius in centurias verterat, & Tribuni denique in tribus) rogantes ecquam singuli tabellam vellent? Erant enim duplices generis tabellæ; aliis inscribebatur A. id est, Antiquo; aliis V.R. Vti rogas. Post hæc, Diribitores diribebant, id est, distribuebant eam tabellam, quam quisque velle se Rogatori respondebat. Deinde suffragatores cum suâ singuli tabellâ ibant per pontes tumultuario opere extuctos, in quibus *καδίκους*, hoc est, sitellæ erant positæ, vt Plautus; vel vrnulæ seu cistæ, vt loquitur Plinius. His vrnulis, coram apposito custode (ne qua fraus fieret)

ret) singuli tabellam suam iniiciebant. Denique tabellæ simul omnes exercebantur à custodibus, qui ex iis suffragiorum omnium inibant numerum, eumque in tabulâ (ad quam positi dicuntur à Cicerone) punctis adnotabant. Hinc pas-sim apud Latinos scriptores , elegantes & priscæ illæ formulæ : Puncta ferre, Tribum ferre ; pro, Habere suffragia.

Quando autem pro candidatis ibatur in suffragia ; primam tantum literam è cuiusque cui suffragabantur nomine , in tabulâ adnotabant suffragatores ; ut scribit de Comitiis Nicolaus Gruchius.

C A P V T X X V.

De notis Tesserariis.

TESSERAM , inquit Turnebus libro xix. cap. xxvi. à Græco τέσσερες dictam puto, id est, quatuor : erant enim tesserae olim frustilla lignea quadra-ta. Idem asserunt Lambinus in Cistellar. Plauti, Brissonius De signif. verb. Cælius Rhodiginus li-bro x x. cap. xxvii. Alexander lib. iii. cap. xxii, ibidem Tiraquell. Et quidem de materiâ tesse-rarum lib. xvi. cap. xviii. Plinius : *Tesseris aptissi-mum ligustrum*. Dio scribit ab Hadriano *tesserulas li-gneas sparsas*. à Tito Vespasiano σφαρια ξύλιναι , glo-bulos ligneos. Polybius, ξυλίνοις vocat tesseram mi-litarem , quod Lipsius eleganter *ligellum* vertit.

De formâ verò quadratâ ex vocis etymologiâ constat; quinquam & lusorix tessera , sicut alex-nostrates , sex lateribus constabant , quo differe-bant à talo , qui quadrilaterus erat ; ut ex Mar-riali

tiali Cælius & Turnebus admonent. Et subinde rotundas tesseras quasdam quidam fecerunt, ut Dio de Tito, Vespasiano, & Nerone, & Hadriano, & Domitiano.

Fuere autem varij generis tesseræ: Militares, Frumentariæ, Numariæ, Vestiariæ, Lusoriæ, Viariæ, Hospitalæ.

Militaris tessera, auctore Polybio, σωματικὴν, tabella erat latiuscula inscripta (inusta certis notis aut formis, inquit Turnebus libro x i x. cap. xxv i.) quæ sole occiduo à Tribuno accepta, cerebatur ad signorum principes, rursumq; ad Tribunum redibat; vnde us omnibus esse datum signum cognoscet. Ita Marius pro signo tesseræ suæ usurpauit Panem Deum, Nero Optimam Matrem, Sylla Apollinem Delphicum, Cæsar Venerem genitricem: alij verò verba, aut versus; ut de Claudio Suetonius cap. xlii. qui vtebatur illo Homericō:

Ἄνδρες πάτησαν δέ τε ποιεῖται Θεολογία.

Præter hæc signa, cuique tesseræ inscribebatur nota Ordinis, verbi gratiâ: H, Hastatorū, P, Principum, T, Triariorum: quod Lipsius lib. v. De Miliâ, ex eo colligit, quod Polybius dicat, semper fuisse ex inscriptione deprehensum, cuius partis seu Ordinis tessera non esset perlata. Plurima verò alia de Militari tesserâ, quæ hoc non spectant, scripsit Godescalcus ad librum secundum Vegetij, cap. vii.

Frumentaria tessera, certo frumenti numero inscripto, gratis dabatur populo. hoc enim solo differt à stellaturâ, inquit Lazius libro secundo, capite ultimo, quæ non gratis, sed vice stipendij dabatur, stellis notata, vnde nomen accepit.

pit. De illâ Persius :

— *emeruit scabrosum tesserulâ far.*

De hac Lampridius in Alexandro , Spartanus in Peseennio, Iustinian. Leg. Septem diebus.lib.xii. Cod. De erogat. milit. ann.

Numaria tessera, symbolum erat , quo ad Quæstorem allato , nummi promissi congiario (hoc est dono Imperatoris) reddebantur. Suetonius capite x l i. Octau.

Vestiaria, cui vestium promissio certis notis erat inscripta. Suetonius de Nerone, & Dio : *Aurum, argentum, variam vestem ; hac dabant per symbola quædam & tesseras, &c. & reipsâ mox dabatur, quod quisque eorum in tessera haberet.* idem Dio de Tito : *Globulos ligneos iaciebat , qui symbolum haberent ; hic alicuius esculenti , ille vestis, &c.*

Lusoria tessera (quas, quia in tabulâ subsiliunt, lepusculos vocat Isidorus lib. xviii. cap. l x i i.) oscilla sunt punctis seu signis notata , quibus binis simul aut ternis in pyrgo seu fritillo luditur. Dixi, binis aut ternis ; quia semper paucioribus, quam talis , vt monet Cicero in Diuinat. & Martialis lib. x iv. epigr. xvi.

Non sum talorum numero par tessera. —

Erant autem hæ tesserae sex laterum auctore Cælio lib. xx. cap. xxvi i. Habebant enim binarium & quinarium amplius quam tali ; sicut asphalum erat octonum laterum : de quo Alexander Neapolit. lib. iii. cap. xx i. Porro huic ludo tesserario (de quo librum integrum scripsit Claudius Imp. teste Sueton.) non absimilis fuit grāmisinus, in quo sexaginta calculi, partem albo, partē nigro notati, per spænuas, hoc est lineas, fritilli iaciebantur.

L

Vinalis

Vialis tessera (ut eam Lipsius appellat lib. v. De Milit.) quā iubebantur adornare itinera. Ammianus lib. XXI. Per tessera m̄ edictō itinere. & lib. XXXIII. Missā per Prouinciales numeros expeditioni li tessera, cunctos transire iusit Euphratem. Silius de Asdrubale:

— tacitum dat tessera signum:

Dimissā in colles pugnā siluasq; ferantur
Dispersi. —

Hospitalis tessera. quā ostensā tamquam veteres hospites & amici, in maiorum suorum hospitia posteri accipiebantur, vt definit Stuckius lib. I. Conuiual. De hac Plautus in Pœnulo:

Deum hospitalem ac tessera mecum sero.

Hæc mihi hospitalis tessera cum illo fuit.

Ergo h̄ic apud me hospitium tibi præbebitur.

quæ eadem ab eodem, & ab interprete Lactantij vocatur fidei tessera: à Tertulliano verò confessatio hospitalitatis, lib. De Præscript. cap. x x. eratque signum, vt Baronius docet Tomo I. Annal. quo Christiani instructi passim ab aliis Christianis hospitio accipiebantur; quod cùm hæretici per fraudem imitarentur, sæpè nouis formis & notis mutatum fuit; ac tandem literis commissum, quæ à Patribus Concil. Nicæni, vt docuimus suprà, vocatæ sunt literæ Formatæ. Vide Zasium in Leg. I I. ff. De Orig. Iur. & Budæum Leg. Sed et si. ff. De Iudic.

C A P V T X X V I .

De notis Sortiariis.

SORTIVM notæ, eruditis non sunt ignotæ. Accuratissimè de iis egit Martinus Antonius Del

Del Rio noster, qui vniuersim earum usum ait
fuisse vel ad diuinandum, vel ad diuidendum.
Sed melius Lessius noster lib. 11. de Iust. cap. 43.
Dub. ix. addit etiam, ad consulendum. Sunt igitur
triplicis generis sortes; Diuinatoriæ, Diuisoriæ,
Consultoriæ. Quid sint sortes, quales, è quâ
materiâ, describit Lipsius lib. 11. Elect. cap. xii.
Sortes, taleolæ, aut surculi è ligno fuere, non grandes,
quibus literæ inscriptæ siue note. Benè de ligno & notis.
ita enim Cicero 11. De Diuin. Perfracto saxo sortes
erupisse, in robore insculptas priscarum literarum notas.
& Plautus Casin.

Num ista aut populna sors aut abiegnæ est tua?

A ligno autem, quod Græcè κάλον, sors dicta est
Græcis κλῆρος, vt ea voce usus est Homerus Iliados v 11. ait Iunius lib. 11. Animaduers. cap. v.
A notis, sors dicta γεωμετριῶν apud Plutarchum
in Fabio, inquit Cælius lib. xxii. cap. xvii. Ut
autem dicam de singulis. Diuinatoriæ, inquit
Lessius loco citato, quibus inquisitio fit de rebus
futuris. Diuisoriæ, quibus quæritur quid cuique
tribuendum, siue illud sit res possessa, siue ho-
nor, siue pena. Consultoriæ, quibus inquiritur
Diuinum consilium. Alius cuiusdam generis
sortium quoad materiam meminit Tacitus lib. De
moribus German. Virgam, inquit, fructifera arbori
decisam, in surculos amputant, eosq; notis quibusdam dis-
cretos super candidam vestem temere ac fortuitò spar-
gunt. Mox paterfamilias aut sacerdos precatus deos, cæ-
lumq; suspiciens, ter singulos tollit; sublatos secundum im-
pressam notam interpretatur, &c. Fiunt hæc per φαεσθε-
μάντειαν, inquit Del Rio. spectant autem vel ad
diuinatoriæ, vel ad consultoriæ.

Huic artificio affinis est ἀλευτρομάντησις, quā certum aliquem locum in quatuor partes æquales describunt, & partibus singulis singulas inscribunt literas; literis singula imponunt grana; tum obseruant quo literarū ordine gallinaceus oscen introductus grana depascatur. Ita Valens Imperator cùm de suo successore quæreret, quia gallinaceus depastus erat grana notata literis Θ. E. O. Δ. occidi lussit omnes Theodoros, Theodulos, Theodosios: successit tamen illi Theodosius magnus, auctore Zonarâ Tomo 3. Sed hanc pullariam diuinationem non esse ἀλευτρομάντησιν, ut putauit Zonaras, eruditè ex Ammiano ostendit Del Rio, quid Lectorem remitto.

Hucusque de notis sortium Diuinatoriarum. Diuinoriâ autem sorte, inquit Del Rio, Romani olim in Iudicibus legendis, prouinciisq; sortiendis vtebantur, nec non in familiâ herciscundâ, in militaribus aliisq; negotiis, quam ipsi rationem ab Atheniensibus accepere, vt ex Asconio Sigon. lib. 11. de Iudic. cap. xii. docet, vbi iam olim in Areopago coniectis in urnam variis literis sortiebantur, testibus Luciano, Demosthene, Scholiaсте Aristophanis, Cælio libro xxii. cap. xvii. & Sigon. lib. i ii. De Repub. Atheniensium. Neq; verò Iudices tantum, sed & athletæ quoque suos aduersarios literariâ sortitione constituebant, vt scribit idem Lucianus. quod & Syracusanos fecisse, in iis sortiendis qui concionem essent habituri ex Plutarchi Problem. docet Cælius lib. xxii. cap. xvii. Indeque Dionysium, cùm fortè literam μη esset sortitus, acri scommate vocatum μωρόλογον, retorsisse; Monarcha ero.

Qui

Qui autem plura volet de variâ gentium sortitione per literas , legat Adriânum Iunium libro 11. Animaduers. cap. v.

Denique Consultoriæ sortes , quibus consilium exquiritur , vsui sunt subinde sine peccato etiam inter Christianos. quando , verbi gratiâ , queritur in militiâ , cuius nationis miles primus facturus sit impressionem : item tempore pestis , quis Sacerdos mansurus sit inter pestiferos , ut faciendum esse scribit diuus Augustinus epistola CLXXX.

CAPVT XXVII.

De notis Grammaticorum.

GRAMMATICORVM notas vniuersim appello accentus, seu *τροφίας*, notas item sententiarum , quas Græci *στριψὶς καὶ δίστης*, Latini *posituras*, quia punctis positis adnotantur, appellant; auctore Isidoro lib. 1. cap. xix. De his Nicanor Grammaticus librum scripsit, ideoque dictus *σηματίας*; auctore Eustathio. Scripsit & Diomedes diligenter libro secùdo maximè de notis distinctionum, de quibus accurate quoque l. Lipsius epistolâ ad Hubertum Audeiantum : omnium verò absoluissimè vir clarissimus Erycius Puteanus in Faculâ, vt appellat, Distinctionum ; quam ego non ab alio quam illo sole eram speratus. Omnem autem distinctionem notis factam , Græci vocant *διάστην* seu *διαστολή*: & *κατασίχω*, notis distinguo, in Epist. Basilij ad Notarium suum: *ἀστητὸν χωρίον*, ager non notatus cippo, apud Pollucem.

Prima seu minima distinctio est Comma, quod Incisum vocant, cuius hæc nota , . sequitur distinctio paullò maior, Hypocolon, cuius hæc figura ; . deinde Colon, quod membrum quoddam est sententiæ, & gemino puncto signatur. postremò Punctum, quo ipsa Periodus definitur.

Alia verò olim interpongendi ratio: vno enim puncto variè collocato, omnes distinctiones notabant. Ita Diomedes lib. 11. & Donatus Grammatic. cuius postremi hæc verba: *Distinctio est, ubi finitur plena sententia: huius punctum ad summam literam ponimus. Subdistinctio est, ubi non multum superest de sententiâ: huius punctum ad imam literam ponimus. Media est, ubi serè tantum de sententiâ superest, quantum iam diximus, cùm tamen respirandum sit: huius punctum ad medianam literam ponimus.*

Porrò neque ea interpongendi lex omnino vetus est. constat enim veteres singulas voces punctis utrumque includere solitos, neque ullam habere distinctionem aliam. ergo diuinari hoc potest; nam qui scierit, quando ea consuetudo inuecta, neminem scio. Cassiodorus ait, *id acceptum à maioribus. magna lux à Cassiodoro! quibus maioribus? Hic omnes Daui sumus.*

Parenthesis, signum est interpositionis; huiusmodi ()

T'ετ', signum coniunctionis in vocibus compositis, quando proxima manet immutata, vt, semper-florentis apud Lucretium. scribunt autem & Hebraei eodem modo hanc notulam, & γηγ Maccaph vocant.

Αποσπόδις, nota deficiens alicuius literæ, vt, viden'.

Distinctio

Diafasis, Signum diuisionis cùm verbi alicuius pars vna in extremâ lineâ , altera initio alterius versus rescribitur, vt homi-
nes. quem morem Augustus repudiauit, qui reliquum quod supererat verbi, malebat parti scripte in extremâ lineâ subscribere , narrante Suetonio, quâm alterius versus initio perscribere, cap. LXXXV 11. Notauit & in chirographo eius illa præcipue ; non dividit verba , nec ab extremâ parte versuum abundantes literas in alterum transfert , sed ibidem statim subiicit , circumducitque.

Diæresis, nota diuisionis literæ aut syllabæ , vt
Aulai , Poëta.

Accentus , seu *περιφέλις* , veteres docti , notas vocum, fastigia, cacumina , voculationes, moderamenta vocabant, ait Gellius lib. xiiii. cap. vi. Inuenit eos in Græciâ Pherecydes Pythagoræ magister, auctore Laërtio. Nam ante Pythagoram Græcis ignotæ fuere hæ notæ , vt ex priscis marmoribus probat Gyraldus Dialog. i. de Poëtis. Neque iam ita Latinis vspurantur ac Græcis; quamquam priscis Latinis fuere vñitissimæ , vt notauit Scaliger Iulius lib. ii. De cauſſ. ling. Latin. cap. lxii. ex Quintiliano. Apud Hebræos verò , accentus quos ipsi Masoreth appellant, multò quâm apud Græcos & Latinos recentiores sunt. Falsum enim est , puncta seu accentus à Moysè vñà cum Lege Hebræis esse tradita, quando constat ea ferè quingentis annis post Christum à Tiberitis in Mœsiâ Paphlagoniæ (quos nunc Thalmudistas & Masorethas vocamus) esse excogitata , vt demonstrant Caninius in Grammat. Syriacâ, Elias Leuites in Præfatione lib. Masoreth, Munsterus in

Grammat. Hebraic. Bellarminus denique, Blasius, Viegas in xii. cap. Apocalypf. & Possenti-
nus, nostri, qui postremus scribit lib. ii. Biblio-
thec. cap. v i i i. punctorum usum cœpisse anno
Christi cccclxxvi i i. cùm Zeno Orientis Imper-
rium, Occidentis Augustulus, Pontificatum ad-
ministraret Simplicius.

Hi porrò accentus seu tenorum notæ, tripli-
ces sunt, inquit Scaliger lib. ii. De causs. lingua
Latin. cap. l i i i. quot nempe sunt dimensiones
syllabarum: altitudo, latitudo, longitudo. Altitu-
dinis ratio est linea perpendicularis: idcirkò cùm
vocem tolleremus, cā lineâ signata est; eo tractu,
quæ autem depresso significat, quasi caderet,
sic \, situ contrario. atque hanc quidem suo no-
mini reliquere, grauenique appellariunt; pro-
pterea quod in guttur ac pectus pronuntiando
eam mitteremus. Alteram illam priorē ab effectu
potius nominarunt acutam; ferit enim aures, &c.
Euenit autem ut duæ syllabæ inter se concurre-
rent; quarum prior acutum accentum haberet, al-
tera grauem; quare ex cùm coalescerent, concre-
uerunt etiam ipsi apices in unum, sic ^, vel ~ :
quod Græci ~~σεισάμενος~~, Latini circumflexum vo-
cavere: quia unico flexu virgulam arcuatam pin-
gebant, talem ^ . quæ omnia maximam partem
Scaliger descriptis ex Isidoro lib. i. cap. x vi i.

Porrò sicut accentuum, ita etiam spirituum
quædam sunt notæ. Densus, initio hanc habuit H,
deinde istam F, denique illam C. Lenis primùm
nullo signo notatus, deinde isto q, denique illo Q,
vt Isidorus loco citato, & Seruius. Latini siūm H,

pro

pro aspirationis notâ acceperunt à Græcis. Hebræi his non indigent, quod eorum voces suos secum spiritus adferant.

Sunt prætereà metricæ quædam notæ, syllabarum quantitatibus signandis apponi consuetæ. Ita longæ syllabæ symbolum est - . Breuis syllabæ nota o, quæ quidem debebat esse linea recta, sed altero tanto breuior priore: verùm ne inter scribendum error excurrentis manus falleret; eò ventum est, ut notula quæ circumflexo accentui aduersatur, aduersam quoque ei figuram haberet, ut argutè obseruat Scaliger. Prior notæ *ωνγρα*, altera *βερχυ* dicitur Isidoro. qui illud etiani habet de notulâ Sicilico, quod non facilè apud alium inuenias, lib. 1. Origin. cap. xxv 1. *Vbi litteræ consonantes geminabantur, Sicilicum superponebant: ut sel'a, ser'a, as'eres; pro sella, serra, afferes.* Veteres enim non duplicabant literas, sed suprà Siclicos apponebant. *Dictus autem Sicilicus, quia in Siciliâ inuentus est.* Rectius tamen à siciliendo, id est secando, inquit eruditissimus Puteanus.

Nec prætereundæ sunt Platonis notæ, de quibus Scholiares Aristophan. Hortibonus, alias Casaubonus, in Notis Laërtij, Sixtus Senens. libro 111. Bibliothec. Pythœus lib. 11. Aduers. cap. 111. quas Isidorus vocat *notas sententiarum*, & appositis figuris recenset singulas his nominibus, lib. 1. cap. xx. Asteriscus, Obelus, Limniscus, Antigraphus, Paragraphus, Positura, Cryphia, Antifigma, Diple octuplex, Versa, Ceraunion, Κρισμα, vel ut Hortibonus scribit Χρισμα; Phi & Rho, anchora duplicitis generis, κοράνης, αλογη. Illud autem de obelo obseruandum; eius

170 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

notam solitam vocari Culpam; sicut ei contra-
ria dicebatur Laus. De quā vtraque Horatius
epist. ad Pisones:

— vitaui denique culpam,

Non laudem merui. —

Et Ausonius in ludo septem Sapient. ad Dre-
pan. Pacatum:

Possum ego censuram lectoris ferre seueri,

Et possum modicā laude placere mibi.

Pone obelos igitur spuriorum stigmata Vatum,

Palmas non culpas esse putabo meas.

Quæ fuerit nota culpæ, præter θ, & obe-
lum — non reperio. De θ autem extra mili-
tiam, etiam in Grammaticorum castris usurpato,
Persius testis est:

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

Et Sidonius Apollinaris in Hendecasyllab. ad
Felicem:

Isti qui valet exarationi

Distinctum bonus applicare θῆτα

Noui, sed benè non refello culpam.

Vnde in Proverbiū abière; ἀξιζεῖν Ciceroni
usurpatum; obelo, vngue, censoriā virgulā nota-
re apud D. Hieronymum & Quintilianum: Ari-
starchum agere apud Ciceronem, qui sic Atticum
compellat; quod is sua scripta quæ ei non pro-
babantur miniatulā cerā notaret; epistolā x v i.
ad Atticum.

De laudis verò notâ, obseruatio est Scaligeri
in Varronem De re Rusticâ: *Pauimentaq; L faciunt.*
L inquit, nota est quam olim solebant inserere ad
designandum locum laudabilem; quod patet ex
Commentario, vbi L L exponitur Locus Laudabilis.

Plura



Plura de similibus vide apud Wouwverium in Polymath. & Robertum Titium lib. x. cap. xiv. Erant enim olim Grammatici plerique projectissimæ audaciæ, vt impunè in omnium scripta obelis suis & asteriscis velut ferro grassarentur, sicut Cresconius ille allatrator Augustini. in quos facetissimi sunt hi versus Herodici Babylonij apud Athen. lib. v. sub finem :

*Aufugite Aristarchij per maris spatiofa terga,
E Graciâ, flauis ceruorum binnulis pauidiores,
In angulis murmurantes bombyces ; monosyllabi,
quibus curæ est
Σοῦν & σοῦν an dicatur, altercari, & μὺν an ρὺ?
Hoc vos numquam non torqueat, ô morosi ac tem-
pestuosi.*

CAPVT XXVIII.

De notis Arithmeticis.

PRISCÆ numerorum notæ non iniucundam habent narrationem, adeoque huc pertinente; etenim cùm apud Latinos, tum apud Græcos & Hebræos, literæ etiam singulariæ numeros significarunt, vt Gyraldus Dialeg. i. Poët. & Petrus Gregorius lib. xv. Artis mirab. cap. i. & Matth. Hostius De Numeris. Ac Hebrai quidem & Græci, librorum numerum præfixis literis censem. Librum ♀ A primum, Librum ♀ B secundum vocant, &c. Atque hinc apud Homerum versus ισότηται. De quibus ita Muretus l. xiv. Variar. cap. xiiii. Cùm literæ Græcorum etiam ad numeros significandos adhibeantur, quorum versuum omnes literæ pro numeris acceptæ, eumdem

dem numerum efficerent ac constituerent, eos
versus ἰσοτίκος vocabant. Sunt autem ἰσοτίκα pla-
nè nomina: δαμαγόες & λειπός, ut cè subiectâ de-
scriptione perspici potest.

Α	4.		
Ε	1.		
Μ	40.		
Ξ	1.	Λ	30.
Υ	3.	Ϛ	70.
Ω	70.	Ϟ	10.
Ϛ	100.	Ϻ	40.
Ϙ	1.	Ϙ	70.
Ϻ	200.	Ϛ	200.
	420.		420.

Apud Hebræos quoque obseruarunt Rabbini
Esther & Susanna Grammatica nomina esse ἰσο-
τίκα.

₪	1.	₪	300.
₪	60.	₪	6.
₪	400.	₪	300.
₪	200.	₪	50.
		₪	5.
	661.		661.

Huius utriusque loci admonuit me pro insigni
suâ in me benevolentia Pater Otho Zylius è So-
cietate nostrâ, cum autographum huius libelli
ei legendum deditsem.

Latini verò unitatem literâ I notabant; quo-
niam (inquit ex Prisciano & Valerio Probo Sca-
liger lib. 1. ling. Latin. cap. xli.) minimo spatio
esset

esset virgula, sicut vñitas nullo: ac repetebant sanè vñitates vsque ad quinque, IIII. Quinarium scriebant per V. non propterea quòd ea nota dimidium esset X, quo denarium designarent; neque idcircò, quia olim scripserant Q V, & posteà Q sustulissent; sed quoniam esset quinta vocalis; cum quā repetitis atque appositis vñitatibus, ducebantur ad numerū denarium; quem idcircò X literā notauēre, quia in vulgari ordine Alphabeti statim post V subsequitur. quo consilio etiam, Centenarium numerum cùm statuissent per C; sequenti elemento scilicet D, quingenarium deposuēre. vel quia proximè post C, sequitur D, inquit Probus; vel, vt aliis placet, quia inter hanc & M, quod mille significat, quinque literæ intercedunt, quæ dimidium millenarij innuant. vel, quod magis placet, quia sit capitalis litera huius nominis, Dimidium. quod dimidium Millenarij significet; vel potius quia antiqui hunc numerum per sinistram partem literæ M, sic notarent, N, quæ nota pñè similis est D. Ratio autem Centenarij à primâ literâ ipsius nominis accepta fuit, sicut & Millenarij per M. Quingenarij verò notam non à nomine, sed à Græcorum instituto excogitarunt; nam cùm illi per N pingent quinquaginta, prisci Latini qui huius elementi loco ponerent identidem L, vt Lymphæ, pro Nymphæ, in hunc quoque usum L pro N substituēre. Verum hæc omnia displicant Matthæo Hosto, qui lib. De num. cap. v. longè hæc aliter explicat, neque sanè ineruditè: sed non luet hinc adscribere, ne sim longior.

Quidquid hac de re sit, Romani ante usum
horum-

horumce numerorum annos Consulares notabant clavis fixis; sicut & Volsci in templo Nor-
titæ deæ Hetruscæ, vt Plinius scribit lib. vii. c. xl.
Annales, inquit, *anteā in clavis fuerunt, & per numerum
clauorum fixorum fuerunt anni numerati, quod rarae lite-
ræ eo tempore fuissent, idcircoq; clavum ex Lege vetustâ
figebat Prætor Maximus; dehinc à Consulibus ad Dictato-
rem, &c.* De quo ritu vide VVouyverium in Pe-
tron. Notis, Rosinum, Alexandrum, Celiūm.

At verò Barbaricæ Arithmeticorum notæ, qui-
bus hodieque utimur, ante trecentos annos tan-
tum ad nos venere ab Arabibus, inquit Scaliger
in Explicat. numi Constantini. Hispani pri-
mùm eas accepere à Mauris: Latini deinde om-
nes ab Hispanis. Fertur autem priscorum num-
erorum inuentor primus Theut, seu Theutates, au-
ctore Plinio. Zifræ autem vocantur ab Hebræo
Zepher, quod est scribo, sicut Cariad-Zepher,
hoc est, ciuitas literarum, in Scripturâ sacrâ, quod
ibi literarum studia florerent.

Iam finein facio dicendi de notis; nam quæ de
Astronomiæ signis dici possent, paucula sunt, sie-
ut & de notis ponderum & mensurarum, de qui-
bus partem Probus, partem Pet. Diaconus, par-
tem Isidorus scripsierunt. Digitorum autem notæ
(de quibus Tractatulum conscripsit Beda) quia
non scriptio, sed gestu exprimuntur, non fa-
ciunt meo instituto. Spero interim neminem mi-
hi succensurum, quod tam minutis reculis tan-
tum impenderim scriptio; quando & Isidori
& Bedæ, aliorumque eruditorum hominum me
defendit exemplum; & multa, nisi fallor, dicta
sunt, quæ parùm anteā obseruata.

C A-

CAPVT XXIX.

*An literis, notis, & numeris arcana
aliqua insit vis.*

DVPLICEM literis, notis, & numeris inesse vim nemo negare potest; vim nempe significandi, & vim obligandi; quæ utraque moralis quædam vis est, communi hominum arbitratu atque consensu iis attributa. De hac non ambigimus: de vi quadam physicâ atque arcanâ nobis quæstio est; qualem tribuere literis & notis ijvidentur, qui Notariam exercent, quæ ars Magica censetur à quibusdam, apud D. Thomam, & Antonium Del Rio. Illi item qui philaſteriis quibusdam & ſchediasmatis, veluti amuletis, tutos ſe præſtant à vulneribus & globis tormentorum. Ac ſanè in Magiâ variæ ſunt diuinandi artes per mysteria quædam literarum.

Est ὁρομάντεια per quam futura exquirunt ex nomine conſulentis; illius neinpe literis veluti anagrammatismo quodam variè collocatis. Atque ita Philoſtratus lib. I v. narrat Romæ puellam quamdam mortuam, ab Apollonio fuſcitatam per σοιχειομάντειαν, quam Cocles cap. I. de Sortileg. recte Literomantiam vocat.

Est & Αἰθμάντεια, quâ Græci valorem literarum expendentes diuinant de illius victoriâ, cuius nomen maiores habet numeros; quâ item Chaldæi Alphabetum diuidentes in tres decades, ſingulas literas planetis ſingulis assignant. Cui affine est illud commentum diuinandi ex literis paginæ alicuius in libro quoipiam fortuitò aperta;

quo

quo vti solitum Hadrianum Inip. Spartanus, & Claudianum Trebel. Pollio scribuit; & Socratem sic ferunt intellexisse sibi esse moriendum:

Spectat huc etiam Iudæorum recentiorum Kabbala, & Platonis Arithmeticum vaticinium, reprehensum ab Aristotele lib. v. Polit. Item Pythagoræ somnium dicam an inuentum, quod ei Plinius tribuit; quo docet ex pari vocalium numero in nominibus felicitatem, ex impari infelicitatem portendi & diuinari.

Quid quòd eò dementiae venerit quidam C. Bassus (vt eum Philastrius nominat libro De hæresibus, vel potius Marcus & Colarbasus ; vt Irenæus De hæres. item lib. i. & Tertullianus De præscript. eos vocant) vt dicerent tantam Alphabeto Græco inesse vim , vt sine ipsis literis veritas non possit inueniri; imò totam plenitudinem & perfectionem veritatis in ipsis literis esse dispositam. propter hanc causam enim dixisse Christum, Ego sum Alpha & Omega. quam hæresim confutauit toto ferè libro primo Irenæus .

De vi auerruncatoriâ, multi opinati sunt eam inesse literis ac notis . Ita Conradus Wimpina cap. penultimo & ultimo lib. De superstitione scribit usitatum esse apud Magos genus quoddam characterum peregrinorum, in quibus sunt novem caldariae, & nomina Principum quatuor huius mundi cardinum ; feruntque eos inuentos à Germone Babylonio, Hermete Ægyptio, & Thore Græco . Fundaturque hic error, inquit Del Rio lib. i. cap. i v. qu. i. in magno illo aphorismo libri impij, qui inscribitur Arbatel in Septenâ i i. vbi traditur, quòd Deus quando rebus nominâ

nomina imposuit, simul cum nominibus vires & officia quædam illis distribuit; & ita characteres habeant vim non ratione figuræ vel pronuntiationis, sed ratione virtutis seu officij illius, quod Deus ad tale nomen vel characterem ordinavit. Neque ab hac opinione alienus fuit Origenes libro i. & v. contra Celsum; aliiq; medici, Qu. Serenus, Aëtius, Trallianus, Paracelsus, & Plinius lib. xxvii. cap. ii. qui docent notas & scripta quædam verba facere curandis morbis; sicut & Cabballistæ, qui docent literis ac syllabis quædam esse cum sideribus cognationem; adeoq; illas habere maiorem vim, quæ rem sanctiorent significant, aut à sanctiore lingua descendunt: quorum auctoritate forsan persuasus Picus docuit in position. Magic. nomina barbara & nihil significantia, plus habere efficacitatis: Sanè sic apud Iudeos fuere phylacteria characteribus inscripta, quibus ipsi se præseruari putabant. Apud Romanos res turpiculæ inscriptæ (præfiscini, vt dicebant) suspensæ de collis puerorum: de quibus Gellius. Apud Græcos Ephesiæ literæ, quas Diogenianus scribit fuisse quasdam notulas, quibus utentes, in omni certamine victoriâ potirentur, quarum mentio apud Athenæum lib. xii. ex Anaxilâ Poëtâ:

In consutis sytariis (id est, minutis coriis) literas Ephesias, ferens.

Quales fortè erant R & A, quas quidam collo appensas gerebant, apud Plinium libro xxvii. cap. ii. sub finem. Suidas scribit eas fuisse carmina quædam obscura, quæ & Crœsus in rogo recitauit; & Olympia, Mileso & Epheso certantibus, Milesium

178 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

lejum luctarinon potuisse, propterea quod alter iuxta ta-
lum Ephesias literas habebat; quibus compertis & dem-
ptis, concidisse Ephesium ferunt. quo loco liber meus
in margine habebat has notas, AIN. S E G E N. FY-
R A L L E S. V N G L Y C K. Cælius lib. XVI. c. XIV.
refert hæc verba, *Asci. Catasci. Aex. Damnameneus.*
Æsion. Tenebræ. lumen. Sol. ipse. verum.

Amatorias autem notas refert D. Hieronymus
cap. XVI. in Vitâ D. Hilarionis: Erat iuuenis em-
porij Gazensis, qui virginem vehementer deperi-
bat; is Memphis profectus, post annū magicis ar-
tibus instruētus rediit, & subter limen domus puellæ,
tormenta quadam verborū & portentosas quæsdam figuræ
sculptas in æris Cypri laminâ defodit, & illicò amore in-
saniuit puella. & mox facit D. Hilarionem hæc re-
spondere dæmoni, dicenti se ob vim harumce li-
terarum non posse exire: *Grandis fortitudo tua qui
licio & laminâ strictus teneris.* Quo loco Rosvveydus
noster ex Taciti Annal. libro XI. obseruat huius-
modi notas plumbeis lamellis fuisse nonnum-
quam incisas, & ab Ammiano lib. XXVIII. huius-
modi inuenta vocari *artes prauas.*

Igitur ut ad hæc omnia respondeam; dico ge-
neratim, nullam omnino vim physicam arcanam
inesse literis vllis aut notis, ad aliquem huius-
modi effectum producendum, vt mecum docent
omnes Patres, & scholastici Doctores, D. Tho-
mas, Gerson, &c. Antonius Del Rio, Tyræus, no-
stri; ipse etiam Vlpianus I. C. Leg. I. D. De ex-
traord. cog. & Hippocrates medicus lib. De Sa-
cro morbo, Galenus lib. VI. & X. Simplic. medi-
cam. Langius, Valesius, Fernelius, Ferrerius, Pe-
trus Gregor. Tolosanus, Scaliger, &c.

Talis



Talis autem est ratiocinatio Antonij Del Rio,
lib. i. Disquis. Magic. cap. iv. qu. 111. quā sententiam illā confirmat: Notæ, literæ, verba, nullam habent vim, neque artificialē, neque naturalem, neque supernaturalem ad huiusmodi effectus; igitur, &c. De artificiali nemo dixerit, aut etiam de supernaturali; non enim Deus, aut boni Angeli ad prestigias operam suam locant. Naturalis nulla vis esse potest; quia verba scripta & notæ sunt quid mortuum, & expers omnis energiæ, nisi fortè à chartâ aut atramento vim hauriant, &c. Igitur notæ, literæ, verba, nihil faciunt ad morborum auerruncationem, amoris excitationem, vulnerum defensionem, &c. Atque ob huiusmodi rationes damnantur hæcce ~~magica~~ characteribus magicis insignita à diuino Basilio homiliâ in Psalm. xlv. & meritò phylacteria hæc vocantur ab Isidoro *Ligatura execrabilium remediorum*. imò irrisa fuere olim ab ipso Luciano in Dialogo De moribus Philosophorum adeoque Antoninus Caracalla, auctore Spartiano, grauissimis suppliciis eorum superstitionem compescere decreuit.

Quamquam ~~et~~ ~~et~~ seu amuletæ illa que Catholica Ecclesiæ confessione probantur, notis aut literis insignita, vim suam habent, non naturalem illam ex numero figurarum, aut lineis ipsis, aut re quapiam simili; sed supernaturalem ex ope diuinâ. Talia autem sunt Euangeliū D. Ioannis, Davidis Psalmi, sententia aliqua sacre Scripturæ, Agni cerei inscripti: quorum effectus supernaturales sunt, Deoque assignandi, si quando cœniunt. Quicumque autem effectus producitur

180 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

visu aliarum chartularum, dæmonis pacientis artificio existit. ira patuit in virgine illâ Gazensi, quæ non vi philtrei, sed machinatione dæmonis, philtro tantum pro signo utentis, ~~ερωλητία~~ correpta est; neque aliter de aliis omnibus existimandum est. Quod verò attinet ad diuinationem, quæ ex nominum literis aut notis numerorum capi solet; ea quia nullo Dei aut Scripturæ sancte promissio nititur, quia semper incerta, quia plerumque fallax, quia semper dæmoni locum aliquem tribuere videtur, anathematis pœnâ prohibita est, cap. Sortes. xxvi. qu. v.

Alioqui licet subinde exquirere rerum nomina notis inuoluta: verbi gratiâ, Antichristi nomen quod Apostolus in Apocalypsi his siglis numerorum texit, DCLXVI. quodq; nonnulli se fuisse assecutos putarunt, texendo nomen ex literis eodem simul numeros continentibus, quale est, D I C L V X. quod legere me memini in glossario quodam manuscripto Heriberti nostri Rosvveydi. Et multa sanè de illo nomine curiosè scribunt Ribera noster in Apocalyps. Pater Alcaçar, Sanderus de Antichristo, Feuardent. & Raimundus item de Antichristo: nec id malè faciunt. At credere magna quædam mysteria ac vim singulis inesse numeris, vt Pythagoræ & Cabballistæ tradiderunt, nè insignis insania est, helleboro purganda; de quâ eruditè multa obseruauit Petr. Gregorius Tolosanus lib. x v. Artis Mirabil. cap. x. Cornelius Agrippa lib. II. De occultâ philosoph. cap. III. & x. Galatin. lib. III. contra Iudeos cap. ix. Philostratus De Vitâ Apollonij cap. I x. lib. III. & Cælius Rhodigin. lib. XXII. cap. VI.

Deni-

Denique non damnauerim erroris eos, qui piâ quadam consuetudinis simplicitate, libri alicuius sacri pagellam aliquam fortuitò arreptam legunt, vel dogmatis vel solatij alicuius capiendi causâ, quod diuo Aurelio Augustino sedenti & de vitæ mutatione cogitanti vñ venit, vt diuinitus sibi dictum arbitraretur quod primâ fronte in Paulinis Epistolis sibi offerebatur. Et multos dicere frequenter audiui solitos se ex libello Thomæ à Kempis sic querere in mœrore consolationem, neque ferè vñquam falli. Sanè Pater Ioannes David è Societate nostrâ vir liberalissimi ingenij & acuti, Veridico suo Christiano extremo rotulam adiecit variis numeris illusam, alteri folio fenestrato suppunctam; cuius circumuolutione, noui semper & noui numeri apparêt, nouarum, sed incertarum sententiarum (quibus totus liber referens est) indices; vt quæ cuique sententia sorte ceciderit, eam sibi dictam esse inspiratamque existimet. Sed futura velle coniicere ex versiculis ita fortunâ oblatis, vt fecere Heraclius Imperator apud Cedrenum, Andronicus apud Gregoram lib. viii. damnata supersticio est, cap. Aliquantus, & cap. Si quis Clericos. xxvi. qu. v.

C A P V T X X X.

De vñ obligandi quam habent literæ.

INITIO capitî superioris dixi literas moralēm quamdam habere vim obligandi. Auctor mihi est Iustinianus lib. i i i. Instit. tit. xiv. De obligationibus: *Obligationum ex contractu, quatuor*

M ; sunt

sunt species: aut enim re contrahuntur, aut verbis, aut literis, aut consensu. Dixi autem esse moralem vim. Ita enim scribit Paulus Iureconf. L. xxxviii. ff. De obligat. & action. Non figurâ literarum, sed oratione, quam exprimunt, obligamur; quatenus placuit, non minus valere quod scripturâ quam quod vocibus lingua figuratis significaretur. Vbi clarissimè ostendit, omnem illam vim ex placito esse hominum. Rectè autem addit, non minus valere scripturæ fidem quam vocis, quia Leg. xv. Tit. xxi. Cod. lib. i v. sancxit Constantinus Imperator, quod eamdem vim obtinent tam fides instrumentorum quam depositiones testium. Imò lib. viii. Cod. Tit. xxxix. Lege xiv. Melius quidem si per scripturam.

Porrò hæc obligatio quæ ex literis oritur non est naturalis, sed ciuilis, vt Modestinus in L. Obligamur, li. verſu penult. De action. P. & §. i. De liter. obligat. habet enim scriptura vim obligandi tantum ex Lege ciuili, aut summum ex Iure gentium. Et optandum quidem esset cum Seneca lib. iii. De Benef. Utinam nulla stipulatio emptorem venditori obligaret, ne pacta conuentaque signis impressis custodirentur; fides potius illa seruaret, & aequum colens animus, &c. adhibentur ab utraque parte testes: ille per tabulas plurium nomina interpositis parari facit, ille non est interrogatione contentus, nisi rem manu sua tenuit. O turpem humani generis & fraudis ac nequitiae publicæ confessionem! sed ex quo cœpit esse,

Nusquam tuta fides, —
& promissiones ac pacta passim perfidiâ eludi, cœpit illud Cicer. lib. i. epist. xiv. ad Atticum esse verissimum: Neros atque artus esse sapientiae, non temere credere. Optimum verò Epicharmi consilium:

lium : Νῦν τὰ μέμνασται : Sobrius esto, & me-
mento nulli fidere.

Quia verò tam stricta ex scripto nascitur obligatio, non nisi præsenti prudentique animo ad syngraphas, cautiones & fiducias scribendas accedendum est: *Si quis enim debere se scripserit, quod si-
bi numeratum non est*, inquit Imperator libro 111. Institut. Tit. xxii. De literarum oligat. *is de pecu-
niâ minimè numeratâ, post multum temporis, exceptio-
nem opponere non poterit.* Atque adeò memorabile exemplum est, quo Pulcheria Augusta, prudensissima femina, fratrem suum Theodosium Imp. Iuniorem ab incautâ imprudentique syngraphorum subscribendorum consuetudine deterruit, ut de eâ refert Socrates lib. vii. cap. xxii. Theodo-
retus lib. v. cap. xxxvi. & Nicephorus Callistus lib. xiv. Histor. Eccles. cap. xxiiii. his verbis: *Theodosius quod naturâ apertus & simplex esset, & om-
nibus benignè facere cuperet, sâpè etiam literis quibus mi-
nimè oportuit, sententiâ earum non perspectâ, subscriptis.* Quæ verò ei diuinitus quasi fidelis custos data erat in rebus omnibus magnifica, moderata & sapiens Pulcheria Augu-
sta, id ipsum quoque morem absurdum coarguens, cor-
rexit. Syngrapham enim inter eum & se venditæ coniugis eius raptim compositam ei proposuit, eamq; ille scriptu-
re vim nesciens, confessim manus sue annotatione confir-
mavit. Postridie eius diei Imperator coniugem ad se voca-
uit, quam Pulcheria se ei reddituram plurimum negauit;
emptionis libellum ut testem (qui accusari aut reucci non
posset) pretendens. Tantâ illa prudentiâ ac festiuitate
fuit. Atque illa negligentiam eius arte quadam arguens,
moderatione mirâ improvidam literarum subscriptionem
sic in eo emendauit.

Hinc etiam è contrario tanta est Legum seueritas, in eos qui aliorum scripturam cum fraude imitantur, vt apud Ægyptios ambe iis manus amputentur, teste Diodoro Siculo lib. 1. Bibliothec. cap. vi. Quod & fecisse Claudiū scribit Suetonius: *Proclamante quodam, præ idendas falsario manus; carnificem statim acciri cum macherà mensaq; lanuia flagitauit.* Et vix aliquanto intius consuluit Alexander Seuerus in Tabellarium, quem, quia falsum caußæ breuem retulerat, incisis digitorum neruis deportauit. vt Auentinus scribit lib. 11. Annal. Boiorum, ex Lampridio in Alexand. Seuero.

Solitus tamen est Titus Vespasiani filius, cum amansensibus suis per ludum iocumq; certando, imitari chirographa quæcumque vidisset, ac sapè profiteri se maximum falsarium esse potuisse. vt Suetonius in Tito quemadmodum & Alexis puer, Attico à manibus, studiosissimè Attici ægrotantis manum imitabatur, ne Cicero visa aliena literâ, de Attici morbo posset suspicari. vt Pet. Victorius lib. xviii. Var. cap. x. explicans illa verba lib. vii. epist. ii. ad Attic. *Alexidis animum amabam, quod tam propè accederet ad similitudinem tuæ literæ, manum non amabam, quod indicaret te non valere.* Sed hic astus pro ingenuo ludo habendus est, quando sine dolo malo adornatur. Alioqui vt huiusmodi fraudes tollerentur, temporibus Neronis Claudij, inquit Suetonius cap. xxi. aduersus falsarios primùm repertum, ne tabula nisi pertusa ac ter lino per foramina trajecto ob-signarentur. (quarum tamen aperiendarum tres occultissimas artes recéset Lucianus in Alexandro.) Et à Iustiniano Imperatore grauiter cautum, ne facile comparationes literarum instituantur li. iv.

Titu-

Titulo xxii. De Fide instrum. Leg. xix. Quę Lex
 utinā aduersus apocryphos scriptores seuerē fuisse
 set exercita; neque aliter libri alicui attributi fuisse
 sent, nisi auditis testibus, & concepto iuramento
 illo Iustinianeo : non inuentus fuisset Leucius
 quispiam qui falsa Apostolorū Acta conscriberet,
 sub nomine Matthiae, Iacobi minoris, Petri &
 Ioannis; non eò processissent Hexocarides & Leo-
 nides philosophi, qui eadem extrusserunt, nomine
 Apostoli Thomæ, vt scribit Innocentius epist. iii.
 ad Exuperium : non fuissent eā audaciā Mani-
 chæi, & Priscillianistaræ, & Ebionitæ, auctoribus
 Augustino lib. De fide contra Manichæos cap. iv.
 Orosio epist. ad Augustinum de erroribus Priscil-
 lianistarum, Epiphan. hær. xxx. non hodieque tot
 impuri infamesque libelli, bonorum subinde no-
 minibus ad fraudem personati volitarent : quo-
 rum ego auctoribus nihil imprecor grauiusquam
 Valentis Imperatoris supplicium ; hoc est, vt vel
 calami illis inter scribendum rumpantur, aut ob-
 rigescant brachia (quod Valenti tertium contigisse
 narrant historiæ, cum Basilium vellet scripro
 libello exturbare in exilium) aut certe vt ipsi,
 sancta scelerum suorum pœnitudine ducti,
 optent, cum hæc scribebent, illud Neronianum :
Vitam necissim literas!

C A P V T XXXI.

Varia scripturarum nomina.

ERIT hoc caput instar Campanici belluati
 tapetij varium & illusum ; fortè eā gratiā et-
 iam iucundum, iis maximè qui nihil volunt
 M 5 char-

186 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
chartariorum nominum ignorare. En syllabum
literarum ordine digestum.

Acta, sunt narrationes scriptæ rerum gestarum;
vnde & *Gesta* appellata. Plautus Truculento:

Quin accipias gesta tecum.

Duplicis sunt generis: *Sacra*, & *Civilia*. *Sacra* sunt
Martyrum Acta, quæ quòd à Notariis publicis,
in Prouinciis iussu Proconsulū adnotarentur,
dicta *Publica*, & *Proconsularia*, vt Baronius Car-
dinalis cap. 1. de *Martyrolog.* Rom. ex D. Au-
gustino; sicut *Præsidalia* à *Præsidibus*. Instituit ea
per septem Diaconos primūm conscribi S. Cle-
mens; mox D. Fabianus Pontifex per septem
item Subdiaconos: vt habet liber Pontificum
Damasi.

Civilia Acta fuere, in primis *Acta Iudiciale*, quo-
rum crebra mentio in Iure, & *Consuetudina* dicun-
tur à Theophilo §. vltimo, Institut. de Curat.
Deinde *Proconsularia*; de quibus Apuleius libro 1.
Floridorum: *Proconsul moderatā voce rarenter & se-
dens loquitur, &c.* *Proconsulis autem tabella, sententia est;*
qua utcumque recitata est, ita Prouincia instrumento
refertur.

Sunt & *Natalitorum Acta*, sed obscurioris fa-
mæ: quam faciam auctoritatibus aliquot illu-
strem. Iuuenalis:

*Tollis enim, & titulis Actorum aspergere gaudes
Argumenta viri.* —

Seruius 11. Georgicōn: *In templo Saturni reponen-
turbantur Acta, quæ susceptis liberis faciebant parentes.* Huic
ritui respondent libri quos Parochi apud Catho-
licos singuli in templis suis asseruare solent; in-
scriptis baptizatorum nominibus & parentum.

Repa-

Repagularia Acta, sententiæ sunt Repagulariorum disceptatorum, hoc est, commissariorum, qui ad fores curiæ ius dicunt, inquit Budæus in Forensib, fol. 39.

- *Diurna Acta*. Suetonius in Cæsare: *Inito honore primus omnium instituit, vt tam Senatus quam populi diurna acta conficerentur.* Tacitus lib. xiiii. *Diurnis vrbis Actis mandare.*

Accepti & expensi tabule, diurnis hisce Actis eo erant similes, quod quotidie item scriberentur. ita Asconius: *Moris erat vnumquemque domesticam rationem sibi totius vitæ sue per dies singulos scribere, ex qua appareret, quid quisque de redditibus suis, quid de arte, fœnore, lucrōve se posuisset quoque die, & quid item sumptus damnive fecisset.* Erant verò eo dissimiles, vt obseruat Iosephus Scaliger libro *De chartâ contra Guilandinum*, quod in aduersâ parte scriberetur ratio expensi; in auersâ, ratio accepti; vnde utramque paginam facere dicebatur, quando rationes accepti & expensi congruebant; siue cum aduersa pars quadrabat auersâ, quod item vocant paria facere, seu pariari: cui contrarium est, reliquari.

Aduersaria sunt chartæ, in quas leui manu ea coniicimus, quorum veremur obliuisci, donec serio describantur. Ausonius vocat *Chartas liturarias*. Fiebant enim ex chartâ deletitiâ, seu pagellis gypsatis, vt Scaliger contra Guilandinum: quæ deletili spongiâ tergebantur. De his Cicero pro Rosc. Comœd. *Quid est quod negligenter scribantur Aduersaria? quid est quod diligenter consiciamus tabulas? quâ de causa? quia hæc sunt menstrua, illæ æternæ; hæc sunt deiecta (vt Budæus, coniecta) illæ in ordinem confessæ.* Dicta sunt Aduersaria, non quod animum legen-

188 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

Iegentibus aduertant, vt putarunt nonnulli apud Corass. lib. i. Miscellan. Iuris, cap. xvi i i. sed quòd aduersâ etiam in parte quasi per neglectum scriberentur. Veteribus enim mos fuit, scribendi res serias, vnâ tantùm in facie. vt ex illo Iunenal. Sat. i. colligi potest:

Scriptus, & in tergo nondum finitus Orestes.
quem versum & morem refert Sidonius lib. vii.
epist. ad Constantimum. vnde & ab eodem Poëtâ secundùm Cælij lectionem lib. xii. cap. xxi.
vocantur *Transuersa*:

— longi relegit transuersa diei.
quò spectasse etiam Cicero videtur ad Attic. lib. v.
Venio ad transuersum illum epistolæ tuæ versiculum. &
Martialis lib. iv. Epigr. lxxxvii.

Inuersâ pueris arande chartâ.
& lib. viii. Epigr. lxvi.

Scribit in auersâ Picens epigrammata chartâ.
Denique Theodorus Hermopolites ad L. notionem De verb. signif. apud Cuiacium lib. viii.
Obseruat.ca.xv. Λύσιν ὁ μαθητὴ τοῦ Αἰγαίου, vocat apocham
scriptam à tergo chirographi. Scripta enim è duabus partibus, Plinius lib. i i i. epist. v. ad Marcum,
vt Cælius adnotauit lib. vi i. cap. xx i. vocat Commentarios Opisthographos: quos valere
etiam in testamentis scribit Vlpianus; de quo Alciatus lib. i i. Dispunction. cap. vltimo. Volaterianus quoque lib. xxxii i i. scribit in hanc sententiam: *Principes olim, sicut plerique hodie Reges, scribebant transuersâ chartâ.* Primus autem Iulius Cæsar, teste Suetonio, epistolas in formam memorialis libelli rededit; cùm priùs Duces & Consules transuersâ tantùm scriberent chartâ. Notarij autem Aduersaria sua vocant

apwmo

αρτοκωλα, hoc est, schedas primas seu originales, quos Itali Basardellos dicunt, ut Albericus scribit ad Legem contract. De fid. instrum. in Cod. Galli verò *Minutas*, quia minutis literis scribuntur; quæ quando serio perscribuntur, dicuntur in mundum redigi, hoc est, sine lituris cum auctoritate scribi, & vocantur *Instrumentum ingrossatum*, ut Petrus Gregorius Tolos. in Syntagm. lib. XLVIII. cap. XLIII. & alij in Tit. Cod. De fid. instrum.

Adnotatio seu *Annotatio*. Significat subinde re- scriptum, propriâ Principis manu subscriptum; subinde breuem scripturam priuatim sine testibus factam, quâ quis sibi debitorem adscribit, inquit Brissonius De signif. verb.

Album fuit multiplex: *Pontificium*, de quo Cicerone 11. de Oratore: *Res omnes singulorum annorum Pontifex Maximus referebat in Album*.

Prætorium. tabula in quam reorum nomina referebantur: quales duo illi libelli erant quos Protagenes Caligulæ seruus clâm circumferebat; alter nomine gladij, pugionis alter inscripti: ut Dio narrat lib. L I X. & Suetonius. vide Vlpianum libro 1. ff. de Albo, & Sigon. Quamquam habebant & Prætores album, in quo edicta sua proponebant, ut præmonerent ciues, scirentque quod ius dicturi essent Magistratus. de quo Corass. libro IV. Miscellan. Iuris cap. VI.

Album Decurionum. Tit. in D. De albo scrib. Vlpianus L. primâ D. De albo scrib. Vide Corassium loco citato.

Album Cytharædorum. Sueton. in Nerone, c. XXI.

Album Iudicium. apud eundem Suetonium, Tacitum, & alios.

Album

190 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

Album amicorum, vulgari Prouerbio iactatum.
 Porrò *Album* vocatur non solum tabula, verum etiam ipse paries dealbatus, in quo Iudicum omnium nomina scriebantur; ita contra Alciatum Turnebus Præfatione in Plinium, & Gregorius Tolosanus lib. XLVI I. cap. XXI V. ex Suidā, qui ait: *Album* est etiam paries gypso illitus ad negotiorum politicorum descriptionem aptus. Vlpianus Leg. Si quis id quod. VI I. De Iuris d. om. P. distinguit item *Album* à chartâ & tabellâ. Græci nunc *ἀλφαράμα* vocant, olim *ἄλφον*: vnde nostrum *Album*, inquit Festus; vel ut Sabini, *Alpum*; vnde Alpes, ob niuum albedinem. Lamprid. in Alexander Seuero *Album Iudicum* vocat Pittacium *ἀνθρακινῶς*, opinor, quia pittacium tabella nigra est, pice pro cerâ oblita ad inscribendum. *Nigrum* verò quod Iureconsulti vocant, & *Rubrum*; sunt Leges nigro seu atramento scriptæ, & earum tituli plerumque encauto rubricati.

Annales hoc differunt ab *Historiâ*, inquit Seruius, quod *Historia* sit temporum quæ vidimus, vel videre potuimus; dicitur enim ab *ἰστορεῖν*, vide-re: *Annales* autem sunt eoruin temporum quæ artas nostra non nouit. quæ ferè habet Gellius libro V. cap. XVII.

Antigraphe, seu *Antigraphum*, est Rescriptum, quod Latini exemplum, barbari Copiam appellant. Hinc qui huiusmodi exempla asseruant, à Græcis *ἀπόδειπται ηγενητηραφεῖς*, à Cicerone *custodes dicti*, *Oratione contra Rullum*.

Apocha est *Acceptatio*; hoc est, scriptura quam creditor facit soluenti debitori. Iureconsulti vocant *Securitatem*, barbari *Quitanciam*.

Anta-



Antapocha, de debito cautio facta creditori à debitore in præstationibus annuis. Leg. Plures. De fid. Instrum.

Arrestum, scriptum propriè quo vel persona alicuius, vel bona, ne loco moueri possint, retinentur. Spiegelius & Budæus.

Authenticum, quod cum auctoritate scriptum est. *avbeyria* enim potestas est. Petrus Gregor. libro XLVIII. cap. XIV. Authenticum Brisson. De signif. verb. quod vulgò diciuntur *Originale*.

Auctionarie tabulae. apud Cicer. in Catilin. *Meo beneficio tabulae nouæ proferuntur, sed Auctionarie*. quæ ab eodem vocantur *libelli*, Orat. pro Quinctio: *Libellos Sext. Alphenus deiicit*. eos nempe quibus publicè affixis bona proscribebantur, & in certum diem vendenda edicebantur.

Autographum, propriâ manu scriptum. Corast. Spiegelius, Brissonius, &c.

Brevis, Breue, & Breues nominantur libelli, quibus & nomina debitorum & priuata quæque negotia annotantur. Brisson. Lazius, Spiegel. *Brevis quidam inuentus asseueratur inter chartulas confiscati*. Leg. vlt. De conu. fisc. deb. lib. x. Cod. ita Lamprid. in Seuero: *Falsum breuem retulisset. Breue nominum conscripsit*. Vopisc. in Aurel. & Liuius libro ix. Decad. IV. In breue coactæ cauſæ. *Milites suos sic sciuit, vt in cubiculo haberet breues, &c.* Lamprid. in Alexand. Sic *Brevia Apostolica* dicta, quod olim imagine plumbeâ signarentur, nunc verò expadiantur sub sigillo breuiori. Gregor. Tolos. lib. x v. cap. XLII.

Breviarium totius Imperij, Suet. August. cap. CI. *Breviarium* rationum Galbae, cap. XI. *Breviarium*

riuum

192 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

rium omnis culturæ. Plinius lib. xvi i i. Breuiariæ rationes, apud Scæuolam, Leg. vlt. De pecul. legat. Breuiculus, apud Spiegel. in Comment. Prudentij, quam vocem quoque Alciatus restituit in Rubr. Cod. De sent. ex breuiculo (non periculo) recitandis.

Bulla, scriptura est in membranâ, plumbo, auro, argento, vel ære funiculis pendente, iure insignita. Rebuffus i. part. prax. benefic. Sunt enim Bullæ Latinis res tumidæ, quales pueris de collo suspendi solent, vocantur autem *Plumbatores*, qui plumbeas hasce bullas membranis appendunt. Vestrius Octavianus libro i. Introductionis in R. Aul. act. cap. i i i.

Chirographum, cautio est propriâ manu signata & scripta. Vnde proverbiū natū Ciceroni: *Age re tabellis obsignatis*, hoc est, ex fide chirographi.

Cautio autem generatim est omnis scriptura que seu ad liberandum seu ad obligandum datur pro chirographo. Briss. lib. i i i. De verb. signif.

Commemoratorium, inuenitur apud Augustinum contra Crescon. lib. i i i. cap. xxix. apud Optatum contra Parmen. lib. i. pro *Inuentario quo censa erant bona Ecclesiastica*. Baron. Tom. ii.

Commentarius & *Commentarium*, in quo rerum capita tantum ad iuuandam memoriam scribuntur. Budæus. ita *Diurni commentarij*, apud Suetonium in Augusto cap. lxiv. *Pontificum commentarij* apud Ciceronem *De claris Oratoribus*. Barbari *Registrum* vocant. Festus ait appellari solitos *Monitors*. Symmachus *Monitoria*. Fuisse & *Commentarios* in quibus notabantur *nomina captiavorum* obseruat Hothomann. qui vefd hos seruabat, dicebatur

ET REI LITERARIAE ANTIQVIT. 193
batur Commentariensis L. iv. Cod. De custod.
reor. vide præterea Budæum & Brisson. lib. iii.
De signif. verb.

Condīcta erant eadem quæ programmata pu-
blicè fixa, ita vocata, inquit Festus, quod in com-
mune dicta ac decreta sint. Spartianus in Hadriano:
Laborabat ut condīcta militaria diligenter agnosceret.

Commonitorium legitur Leg. vnic. Cod. De suf-
frag. significat scripturam conuentionis apud
Cassiodorum lib. vii. Variarum. Pro commen-
tario ad memoriam iuuandam accipitur ab Augu-
stino epist. cxxix. & clviii. à Vincentio item
Lyrinensi lib. Contra profan. Nou.

Diarium (interpretamentum est Sempronij A sel-
lionis, ait Gellius libro v. cap. xviii.) idem
quod ~~conūctus~~.

Digestum nomen primùm inuentum à Saluio
Juliano, qui Ius ciuale, cùm olim confusim tradi-
tum esset, tamquam in quamdam artem illud di-
gessit. ita Alciatus Rubric. Cod. De edendo.

Diplomata sunt literæ patentes, vt nunc loqui-
mur, ait Budæus in Pand. cuiusmodi sunt Bullæ
Pontificum & Regum: ita dicta, quod sint chartæ
complicatæ & lino traiectæ. Tales erant & Codi-
cilli, Principum signis notati; quibusvisis hippar-
chi vehicula & equos cursorios præstabant iis
qui vtebantur cursu publico. ita Lazius de Rep.
Rom. & Bud. Annot. poster. in Pandect.

Edictum, vt Halicarnass. scribit lib. v. Romani
appellabant τὰ ἐδίκτων καὶ αὐθικῶν διαγεγόλων. nam
vt scirent ciues quod Ius de quaue re Magistra-
tus dicturi essent, edicta proponebant. ita Brisson.
lib. v. De signif. verb.

N

Elogium

Elogium subinde significat caussam datæ vel negatae hereditatis, testamento expressam. Exemplum datae est apud Senecam 11. Controu. Reliquit heredem, & elogium adiecit; quia pudicam compieri. Negatæ apud Ciceronem pro Client. Elogium recitasti, &c. idcirco se exheredasse, &c. apud Quinctilianum lib. viii. cap. iv. Si exheredatum pater à se filium elogio fuerit testatus, propterea quod is, &c. Subinde Elogia sumuntur pro notoriis, seu indiciis criminum, quæ vulgus vocat *Informationes*, ita Tertullianus Apolog. cap. xliv. Tot à vobis nocentes, variis criminum elogiis recensentur. & Sueton. Calig. cap. xxvii. Nullius inspecto elogio. ad quæ verba Turnebus lib. xviii. cap. v. Multis nomen hoc suspecti sermonis est; in caußâ est, quod extritâ vñâ literâ c, pro Eclogio, Elogium dici animaduerti: Eclogium autem ab Ecloga deducitur, hodieq; εὐλογεῖν apud Suidam reperitur. Alij quasi Elogium interpretantur, derivantes ab εὐλογίᾳ, quod titulus & testatio sit commemorans virtutem & virtutes. vide ibidem Torrentium.

Ephemeris, Diarium seu Diurnum, ut Budensis legit illud Iuuenalis: — relegt transacta diurni. Gellius lib. v. cap. xviii. Cùm non per annos, sed per dies singulos res gestæ scribuntur, ea historia Graeco vocabulo ἐφημερίς dicitur, &c. Latinè Diarium. ut supra. Propertius:

Forte iacent duras inter Ephemeridas.

Eulogia erant breues chartulæ eorum qui dabant militibus stellaturam, hoc est, tesseram annuariam loco stipendij. Lazius lib. ii. Repi. c. vlt.

Fasti & Fastus, libri quibus festiuitatum dies, & earum caußæ explicantur. à Græcis ημερολόγιον vocantur, ut Scaliger in Festo. De Fastis Christianorum

norum Tertullianus lib. De coronâ milit. *Habes tuos census, tuos fastos, nihil tibi cum gaudiis sacerduli.* Hosce primus scripsit non Eusebius Cesariensis, vt contra Bed. Walfrid. & Molanum docet Cæsar Baronius Prolegom. Martyrologij sui cap. viii. sed ignotus quispiam ante tempora D. Gregorij Magni. Romanorum Fastos elegantissimè complexus est Ouidius libris tribus: Ecclesiasticos autem totidem quidam Nouidius, sed omnino ingratissimè & auersis Musis, vt memini olim arguto carmine lusisse Bernardum Bauhusium, quod nondum adspexit lucem. *Consulares Fastos* doctissimè scripserunt Michaël Beuterus Gallus, Onuphrius Panuinus, & Stephan. Pighius. olim Verrius, qui eos prope statutam suam fecit incidi; vt Sueton. lib. De claris Grammaticis.

Imbreuiatura apud Bald. ad Rubr. De fid. instrum. & Albericum ad Leg. Contract. De fid. instrum. idem est quod *πρωτονομον*.

Indigamenta, i.e. επικείμενα. Gloss. nam quod in Festo legitur aliter, ex Paulo Diac. est, ait Scaliger.

Instrumentum, omne scriptum quod ad instruendam caussam pertinet. Spiegelius & Brissonius, & Petrus Gregor. in Syntagm.

Inuentarium, seu Repertorium. Leguntur in Leg. Tutor. De adm. tut. P.

Kalendarium, liber pecuniæ fœnebris. solebant enim in Kalendas fœnerari. Martial. lib. viii.

Centum explicentur paginæ Kalendarum.

Seneca in epistol. Diuitem illum putas, quia magnus ei Kalendarij liber voluitur. Ouid. ii. de Rem. Am.

Qui puteat, Ianumq; timent, celeresq; Kalendas,
Torqueat hunc æris mutua summa suis.

169 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

Libelli sunt, quos vulgus vocat *Requestas*, seu *Libellos supplices*. varia autem libellorum genera alia quærenda apud Iureconsultos.

Laterculum, liber erat continens totam officiorum ac dignitatum administrationumque ciuilium ac militarium rationem, inquit Brissonius lib. x. *Βιβλίον ἐφίμερον τὰς ἀριθμους περόντες*, inquit Appianus. Maius *laterculum* apud Principem, minus apud Quæstorem erat. Sic verò dicitur, quod in eo lateant arcana; ut Lazius de Repub. Vide de eodem Notas Casauboni ad historiam Augustam.

Mandata libera, erant chartæ signatae, quibus vires alicui mandabantur rerum cum auctoritate gerendarum. Liuius lib. viii. Decad. i v. *Legati ab Aetolis, cum mandatis liberis ad Consulem venerunt*.

Matrices & Matriculae, quarum mentio in poster. lib. Cod., libelli in quibus nomina militum, & eorum qui fisco pendunt. Rhenanus in Notis Tertulliani.

Notitia, libellus in quo descriptio status, & totius administrationis vocatur ab Imperatoribus junioribus, inquit Brissonius.

Notorium, pro indicio criminis sumit Lex vi. §. Nuntiatores. ff. ad S. C. Turpil. Leg. viii. Cod. De accus. Augustinus epist. clx. ad Aprignium vocat *Notariam*. quemadmodum & Apuleius libro vii. de Asin. & Trebell. in Claudio, quamquam Baronius Tom. ii. obseruat ab Augustino epistolâ c l. ad Marcellinum non *Notariam*, sed *Notoriam* dici.

Pandectæ, Comprehensorius liber, quasi omnia continens, inquit Spiegel. vnde Justinianus Digestū vocat *Pandectas*, quod in eo omnes ferè Leges. Poliptici,

Polippii, non sunt chirographa vel apochæ (vt malè Alciatus) inquit Cuiacius lib. iv. Obseruat. cap. xxvii. sed rationes publicæ, vt constat ex Veget.lib.xi. & Cassiod. lib.v. Variar.

Programma edictale apud Cassiodorum lib.i. in epist. Theodorici ad Pop. Rom. item libro ii. epist. ad Senat. Rom. Libro autem v. epist. ii. ad Stabul. vocat *Titulum*. pro eo quod nos dicimus *Edictum valuis affixum*.

Rationarium, ait Cælius lib. xii. cap. xxii. inuenias pro libro in quo vel contractuum vel gestarum rerum rationes comprehenduntur. vnde *Rationarius apparitor*, Marcellino; *Ratiocinator*, Columellæ, qui præst rationibus: *Rationales* vocantur Lampridio. *Rationarium imperij* Suetonius nominat Augusti cap. xxviii. *Rationes imperij*, in Caligul. cap. xvi. *Rationes libitinæ*, in quas peste mortui referebantur, in Nerone. quas Scaliger in Eusebij Notis vocat *Ephemeridem libitinariam*.

Rescriptum, ait Spiegelius, videtur significare id genus quo Imperatores aut Pontifices summi consulentibus eos respondent, cuiusmodi sunt, quas vocant *Literas decretales*. idem ferè Brisson.

Sacraliteræ sunt, quæ & Codicilli dicebantur; & inclinante Imperio, *Indictiones*; nunc verò *Literæ credentia*. meminit earum Symmachus lib. ii. Epistolar. Sidonius epistolâ ad Papianillam vocat *Codicillos*: Cassiodorus lib. v. in epist. Theodorici ad Cyprianum, *Indictiones*.

Schedæ & *Schedia*, tabellæ quibus suppatores vtuntur ad scribendos numeros; vt mox deletili spongiâ detergi possint.

Signatura; *Scriptum summi Pontificis papyra-*

N 3 ceum,

198 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
ceum, sine sigillo. hoc enim differt à Bullâ quæ
membranacea: Pet. Gregorius lib. xvii. cap. xv.
& à Diplomate, quod in chartâ signatum. ibidem.

Summarium. Auctor est Seneca in Epistolis an-
teà vocatum fuisse Breuiarium.

Syngrapha Latinè sonat *Conscriptionem*, quòd
vtriusque manu conscripta vtriusque partibus tra-
di soleat. ita Spiegelius. Freius verò in Verrin. i.
Syngrapha, inquit, *tabella est in quâ perscribitur pactio*,
vtriusque paciscentis manu obsignata. *Syngraphæ* au-
tem tantum in Græciâ siebant; nam Romæ pa-
ctiones huiusmodi referebantur in Cod. accepti
& expensi. Hoc porrò discrimen est inter *Syngra-*
phas & *Chirographum*, ait Asconius Verrin. iii.
quòd in *Chirographis* tantum quæ gesta sunt,
scribi soleant, in *Syngraphis* etiam contra fidem
veritatis pactio venit, & non numerata pecunia,
aut non integrè numerata pro temporariâ volun-
tate hominum scribi solent, more institutoque
Græcorum. Malè igitur Spiegelius & Alexand.
Neapolitanus cum Budæo faciunt *syngrapham*
vno ex latere scriptam; vt benè Tiraquellus. qui
addit *syngraphas* tantæ fuisse auctoritatis, vt eas
abnegare, summæ haberetur perfidiæ. Inde ta-
men natum illud in falsarios dictum apud Sui-
dam: *Non est idem scriptura & Leuippus.*

Συνθέματα δημοσιαῖα, ait Budæus in Comment.
esse notæ quasdam epistolares, indices & com-
mendatrices eorum qui eas reddebant: item di-
plomata quæ ius dabantur, qui cursu publico
vtebantur.

Tituli, programmata, vt suprà ex Cassiodoro:
dicti non à tutando, vt Varro; sed ὡδὶ τὸ τείχος
τείχος

τιμὴ πολὺ, inquit Scaliger lib. i. Poëtic. cap. ix.
& lib. iii. cap. ultimo. differt ab Elencho, quod
hic non sit unus titulus, sed multi.

Translatitia edicta sunt, quæ Prætores ex alio-
rum edictis vel integra, vel partem transferebant
in sua edicta noua. Asconius Verrin. i.

CAPVT XXXII.

De Scribis, & variis eorum generibus.

SCRIBÆ nunc dicuntur, ait Festus, Librarij, qui
rationes publicas scribunt in tabulis. Eorum mu-
nus vocatur *Scribatus*. Leg. Si adscribat. C. De ap-
pellat. Exercitium, facere scriptum. Liuius lib. ix.
& Gellius lib. vi. cap. ix. Ordo, olim vilis apud
Græcos iuxta ac Romanos, inquit in Syntag. Pe-
trus Tolosanus lib. XLVII. cap. xli. & Mercena-
rius, ut appellat eum Æmilius Probus in Vitâ Eu-
menis; sed mox cœpit honestus haberi, ut liquet
ex Cicer. Verrin. v. & Iustinian. Nouel. x v.
& LXXXII. Tandem etiam adeò excreuit, ut fue-
rit in decurias descriptus; teste Sigonio libro II.
De iure Roman. cap. x. A variis autem Magi-
stratibus quibus apparebant, votati Quæstorijs,
Prætorij, Ædilitij; imo & à rationibus suis, Æra-
rij, Portorij, Nauales, aiunt Franciscus Polletus
libro v. De foro Roman. cap. xii. & Turnebus
lib. xxx. cap. xxiv.

Scribæ verò Hebræorum, ut passim vertunt Interpretes nostri, non fuere propriè Scribæ, sed
Lectores & Doctores Legis, ut clarè demonstrant
Serrarius noster & Sigonius in Repub. Hebræo-
rum. Fuere autem præterea multa Scribarum

N 4 nomi-

200 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
nomina quæ recenset Lazius libro i i. cap. i v.
De Republicâ.

Epistolares, hodie Copistæ. De quibus Iustinian. Leg. final. §. In his aut. Cod. De Temp. appell. Idem, *Scripturarij & Grossistæ Cancellorum*. Gracis *zepmuarrii*. Idem etiam *Librarij* Plinio lib. v i i, de Cæsare: *Epistolas quaternas aut septenas pariter dicitabat librarius*. *Librarioli* Ciceroni lib. i v. ad Atticum epist. i v. & Vegetius lib. i i. cap. v i i. inter castræ officia ponit Librarios, qui militum rationes scribebant.

Libellorum magistri. Libellenses, qui requestas, hoc est, libellos scribunt. Brissonius. Sunt autem longè alij *libellatici*, de quibus Baronius Tomo i i. Annalium. erant enim hi, qui vel per se, vel per nuntium indicabant Magistratui se abnegare Christum; in cuius rei testimonium à Magistratu libellum impetrabant: quo muniti, persecutionum pœnas euadabant; vt colligitur ex epistol. l i x. D. Cypriani ad Antonian.

Actuarij, qui acta scribebant. *Abbreuiatores*, majoris & minoris Parci; quorum primi diploma signant; alij pecuniam pro signandis accipiunt. Octavianus Vestrius *Introductione in Aulam Romanam*.

Rescribendarij, qui taxant Scribarum mercedem. ibidem. Sicut *Summista Apostolici*, qui decernunt quid à Secretariis oporteat registrari. Tolosanus lib. xv. Syntag. cap. xli i.

Notarij, à notis, quia verba dictantis per notas & compendia scribebant, inquit Ammonius, & Paulus De milit. testam. Modestinus, Brissonius, Spiegelius. *Antiquarios* eos appellat Ausonius epist. x v i. ad Pro-

Probum; Græci καληγέας, σπουδαῖος καὶ τυχόγεας; Suetonius in Iul. Cæs. cap. l. v. Actuarios: sicut & Trebellius Pollio & Seneca. Singularios, à singulis vocari inquiunt Scaliger li. II. cap. XIII. in Notis Ausonij, & Raderus in Martial. lib. XIV. Epigram. c c i i. Horum natales felicissimi sub Astro Virginis, si Dîs placet, auctore Manilio lib. IV. Astronom.

At quibus Erigone duxit nascentibus euum, &c.

Hic & scriptor erit velox cui litera verbum.

Ordo primūm vilis, teste Petro Tolosano libro XLVIII. Syntagm. cap. XLII. utpote omnium seruitio expositus. Gloss. in Leg. Vniuersos. De Decurion. lib. x. Cod. adeò ut etiam Notarij munus suscipiens, perderet priuilegium officij. Leg. II. de tabul. lib. x. Cod. neque liceret Ecclesiastico exercere munus Tabellionatus laici. cap. Sicut ne Clerici. cap. Offic. de hered. in. 6. Alioqui Notarij Ecclesiastici & Apostolici semper fuere in honore; sicut etiam post ipsi Notarij laici. Sunt enim in Romanâ Curiâ Protonotarij septem, ita dicti, ut à laicis Notariis distinguantur, qui originem habent à Notariis illis primis, qui Acta Martyrum excipiebant. De quibus initio capit is præcedentis. Ciuilium vero Notariorum hæc sunt genera à Lazio numerata li. II. Reip. Rom. cap. IV.

Princeps Notariorum apud Ammianum lib. XXV.
& Lampridium in Alexandro: Primicerius Notario-
rum apud Marianum in Cod. Præfecturæ. is erat
qui nunc vocatur Cancellarius, & olim Princeps
laterculi, Leg. In agr. §. de acquir. Iur. do.

Tribuni Notariorum, qui nunc Secretarij. de illis

N 5 men-

202 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.

mentio apud Symmachum epist. ad Arcadium Imperatorem, Marcellin. libro xvii. & Cassiodorum lib. vi i. qui appellat Tribunum chartariorum.

Notarij militantes, qui nunc Secretarij castrenses nominantur apud Ammianum libro xxxix. & xxx. à Vegetio dicti Librarij militarium rationum, libro ii. cap. vii.

Notarij decurionum, apud Sueton. in Claud. qui Censuales apud Capitolin. in Gordiano.

Notarij Secretorum, apud Vopisc. in Aureliano.

Notarij Principum, Leg. vnicâ. Cod. De mand. Princip. & soli dicuntur habere dignitatem: nam ceteri nuncupantur Serui publici. Leg. ii. Re. pupil. sal. form. ita Spiegelius.

Hoc verò Lazio fugit, quòd Notarij frumenti constituebantur in frumenti distributionibus. Pollux libro viii. cap. ix.

Logographi, hodie Taxatores, qui scribebant in lib. rationum.

Mediogrammatéi, quos Scribæ consulebant, hodie Correctores, à Græcis Diaſtolæ, quasi Interpunctores.

Symbolographi, nunc Registratores; qui ordinem Cancellorum tenent.

Subadiua, Græcis ἀντίχειοι, nunc Contrarotularij, qui ex opposito ad maiorem fidem acta transcribunt.

Boëthi, qui aliis in scribendo assistunt; vnde fortè Seuerino Boëthio nomen. quæ quinque postrema nomina sunt in Leg. final. Tit. De Tabel. scrin. & logogr. lib. x. Cod. Titul. LXIX.

Formularij, qui formam scripti concipiebant; iidem.

Paralij,

Pararij apud Senecam 11. & 111. De Benef. vt interpretatur Gruterus. quamuis Ræuardus libro 111. Variar. cap. 1. Pararios vocat *Obsignatores*; de quibus Cicero pro Cluentio.

Chartulani, in Codice Praefecturarum. *Chartularij*, apud Iustinian. & Paul. lib. xviiii.

Excepores. Scribae priuilegiorum.

Prochiri & *Mesoprochiri*, Amanuenses ita vocantur à Suetonio. Prius nomen habetur libro xii. Cod. Leg. Iubem.

Hypomnemographi. Instituti primùm ab Augusto, post Ægyptum redactam in prouinciam. Strabo. Idem sunt qui Commentarienses. Hypomnema enim est Commentarius. Cic. lib. x v. epist. cclxv. Multum mihi eripitur opera in scribendis hypomnematis.

Regerendarios Marianus nominat, pro Notariis seu Singulariis.

Scripturarij, inquit Nonius cap. 1. quos nunc Tabularios dicimus, qui nomina omnia vrbium & prouinciarum complectebantur.

Scriptores, qui dictaturam minutam in formâ literarum conscribunt. Notarij enim numquam, nisi minuto charæctere scribebant, vt obseruat Janus Mellerus Palmerius in Spicilegiis: *Veteres omnes*, inquit, maiusculis literis totos perscribebant libros; minusculas Notarii relinquabant, quarum usum Papyrianus non nisi occupatis & negotiosis indulgebat. Maiuscule autem erant, quas cum Petronio vocamus quadratas, vel vnciales, vt diuus Hieronymus in Præfat. ad Job; vel Apices, vt Sidonius, notante I. Baptista Pio.

Præter hæc de Scribis scripta, remitto ad ea

quæ

204 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
quæ Læuinus Torrentius scripsit accuratè de
ordine scribendi libro i. Comment. Horat. Sa-
tyr. v. vers. LXVI.

C A P V T X X X I I I .

De rarioribus quibusdam inscriptionibus.

C O M M U N E S rerum ferè obuiarum inscri-
ptiones negotioso labore nonnulli diligen-
ter obseruarunt ; inter quos insignis opera est
Raimundi Fuggeri, Gruteri, & illorum qui in Ba-
taniâ nuper Inscriptiones cum Auctario Lipsij
ediderunt : Nathanis item Chythræi, & Francisci
Svvertij, qui ambo scripsere Delicias; hic, orbis,
ille variorum in Europâ Itinerum: hoc est, Inscriptio-
nes sepulchrorum in templis , Nidorum in
Bibliothecis, Imaginum in compitis, Cipporum
in triuïis , Fontium , Hortorum , &c.

Nolo hoc loco semel appositas delicias iterum
inferre. Illud vnum proposui , secretiores quas-
dam & non obuias inscriptiones protrudere. Que
an caput cœnæ inter delicias illas esse possint , an
bellaria, nihil labore ; imò nec pro deliciis ven-
do , sed propono Lectori ut emat, aut contemnat.

Igitur domorum ianuis olim inscribi solitum,
Cave canem. Lambinus in Mostell. Plautin. obser-
uat. Imò & canem appungi solere , auctores sunt
Varro apud Nonium, voce Præbitio; & Petronius,
cuius postremi hæc verba : *Non longè ab ostiarij cellâ*
canis ingens catenâ vincitus in pariete erat pictus ; superq;
quadratâ literâ scriptum , Cave canem.

Scaliger in Festo, notat , ianuis solere etiam in-
scribi , Arse verse, ad auerruncandum incendum.

Viii



ET REI LITERARIÆ ANTIQVIT. 205

Vinis arboribus amantes inscribebant. Virgilius
Eclogâ x.

Certum est in siluis inter spelæa ferarum
Malle pati, tenerisq; meos inscribere amores
Arboribus : crescent illæ, crescentis amores.

Ouidius Oenone :

Et quantum trunci, tantum mea nomina crescent;
Crescite, & in titulos surgite ritè meos.

Vide Pontanum nostrum in Ouidium. Nostrum
item De la Cerdâ in Virgilium, & Meursium in
Theocritum.

Pomo & florum foliis fuisse quædam inscripta di-
ximus suprà, vbi de materiâ in quâ.

Amicarum ianuis proci inscribebant earum lau-
des. Plaut. Mercat.

Impleantur meæ fores eclogiorum carbonibus.

Aristophan. de Pyrilampe formosissimo in Vespis:

Καὶ νὴ Δὲν ἀν ιση γέ που γεγεμνένον,
Τὸν Πνειλάμπον ἐν θύρᾳ δῆνον καλόν:
Si forte scripta vidi ad quasdam fores
Hæc verba : Bellus Pyrilampis vicus est.

Formosorum tumulis, quod à diis rapi creden-
tentur : Sol me rapuit. Vide Meursium De fu-
neribus.

Tricliniorum & diatarum foribus, S litera inscripta;
ad imperandum silentium maledicentiae in ab-
sentes. Pierius lib. xxxv i. Hieroglyph. Ita di-
uus Augustinus intra triclinium fertur mense suę
habuisse versus duos adscriptos, ad compescen-
dos calumniatores.

Ciborum nomina in tabellâ scripta Regi mensæ
dabantur à coquo. Lipsius lib. 111. Antiquar. le-
ction. cap. 1. ex Athenæo. Cibi autem ipsi sub-
inde

inde literarum etiam ordine seruato inferebantur, ita ut omnia eiusdem missus fercula eadem initiali literâ inchoarentur. Spartanus id narrat in Antonino Getâ, qui simul pro uno missu inferri iubebat perdices, porcellos, pullos, phasianos, pernas; alio missu, ficedulas, fucus, farta.

Pocula, scyphos, cultros, cochlearia, & lances subinde reperio literis notata.

De poculis, Athenæus lib. xi. apud quem Eubulus in Neottide: Μισῶ νάκισον γεγυματηὸν ἔκπυρμα: Pessimum odi literatum poculum. Talia erant, inquit Cælius lib. viii. cap. 1. illud apud Athenæum, in cuius ambitu scriptum, Διὸς σωτῆρος, & quod Capuae fuisse legimus Diana sacrum ex Homeri carminibus concinnatum; qualia multa habuisse Neronem refert Suetonius: Ultimis suis rebus scyphos gratissimi vsus, quos Homericos ab cælaturâ carminum Homeri vocabat, solo illisit.

Scutellæ inscriptæ apud Petronium: Tegebant a sellum duæ lances, in quarum marginibus nomen Trimalcionis inscriptum erat, & argenti pondus.

De cultro literato Plautus Rud. Scen. Seriò.

Enficulus est aureolus literatus. —

In eo ensiculo literarum quid est? &c.

Cochlearia inscripta apud Lampridium in Heliogabalo: Sortes sanè coniunctales scriptas in cochlearibus habuit tales: unus exhiberet decem camelos, alius decem muscas.

Lagenæ scriptis pittaciis signari solitæ; & multa sunt eius rei indicia. Horatius lib. ii. epist. ii. Petronius: Statim allatae sunt amphoræ vitreae diligenter gypsatae, quarum in ceruicibus pittacia erant affixa cum

Ibi tu videas literatas fictiles epistolæ

Pice signatas, nomina insunt cubitum longis literis.

Erant autem hæc nomina Consulum sub quibus
diffusa vina fuerant, ut patet ex Horat. Epod.
Od. xiiii. lib. iii. carm. Odâ xxii. & xxviii.
& multis locis Martialis.

Merces, etiam scriptis tabulis (quas Scaliger li-
bro iii. Poëtic. cap. vltimo Titulos vocat) ve-
num prostatabant. Ita in postibus Bibliopolarum
scripta erant nomina eorum quorum vendebant
libros. Martial. lib. i. Epigr. cxviii.

Contra Cæsar is est forum taberna

Scriptis postibus hinc & inde totis,

Omnis ut citò perlegas Poëtas.

& pisces quidem adscripto in tabulis pretio ve-
nabant, teste Athen. lib. vi. apud quem ita Alexis
in Lebete de Aristonico Legislatore :

Nunc autem legem quamdam edixit nouam

Auream, ne sedentes vendant piscarij,

Sed recti stent perpetuū.

Deinde ut appensis tabulis pretium scribant in po-
sterum,

Quo citius mercaturi reuertantur domum.

Est apud Senecam lib. x. cap. vi. Titul. contro-
uersiæ de inscriptis mercibus.

Alias item merces, sed quas emisse statim pœ-
nitet. Pudorem, inquam, mulierularum venalem pro-
stitisse in fornicibus, titulo pudoris ac libidinis pretio tabulis
inscripto, inuenio apud complures. Seneca Con-
trou. I. Meretrix vocata es, in communiloco stetisti; su-
perpositus est cellæ tuae titulus. Ibidem : Nomen tuum
pepen-

*pependit in fronte, pretia stupri acceperisti. Petronius:
Video quosdam inter titulos meretricesque spatiates.
Martialis:*

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ.

*De quo ritu plura vide apud Brissonum de Iure
connubiorum: Casell. Durantium, lib. i. cap. ii.
Variar. & x. Dousam Præcidan. lib. i. cap. iv.
ad Petronij Satyricon.*

*Serui venumdabantur appensis collo titulis.
Propertius :*

*Et quorum titulus per barbara colla pependit,
Calati medio cum saliere foro.*

*Erat autem in titulis scriptum, quemadmodum
Gellius refert ex verbis edicti Ædilitij : Quid
morbi vitiiq; cuique siet. Quis fugitiuus, errove siet, noxá-
ve solutus non siet. Id quod Vlpianus confirmat
Leg. i. Digest. De Ædil. edit. his verbis: Qui
mancipia vendunt, certiores faciant emptores quid morbi
vitiiq; cuiq; siet.*

*Dum agebantur Comœdiæ aut Tragœdiæ, Au-
toris nomen in tabulâ scriptum proponebatur,
vt Scaliger lib. i. cap. ix. notat de Poëtic. quem-
admodum Romæ nomina singularum populi Cu-
riarum in foro descripta titulis figebantur, quan-
do Curiæ dies suos festos agitabant. Ouid. ii. Fa-
stor. De festo stultorum:*

In q; foro multâ circumpendente tabellâ.

Signatur certâ Curia quæq; notâ.

Stultaq; pars populi, quæ sit sua curia, nescit:

Sed facit extremâ sacra relicta die.

*De reorum tabellis apud Suetonium in Caligulâ
cap. xxxxi i. in Domit. cap. x. apud Dionem li-
bro LIX. apud Euseb. lib. v. cap. i. ex epist. Mar-
tyrum*

tyrum Lugdunensium, vbi hæc verba : *Cum vndique per Amphitheatrum circumduceretur, tabulâ (in quâ Latinis literis hæc inerat inscripto, HIC EST ATTALVS CHRISTIANVS) illum præcedente.* Attigit de hoc more pauca Petrus Faber Semestr. libro 11. cap. v 111. qui ait Christo morienti fuisse titulum superpositum ex eodem more. De quo titulo vide Gretserum nostrum Commentariis doctissimis de Cruce.

Res amissæ scriptis & affixis vndique programmati quærebantur expresso nomine amissoris. vide cap. x x 11. in Mantissa Ioannis Wauverij,

Herme & cippi in compitis ad vias monstrandas inscripti. ita adnotauit Torrentius libro 1. Satyrâ v 111. Horat. §. x 11. & Budæus agens de Cippo. Firmatur testimonio Martialis libro 1. Epigram. x 111.

Rura nemusq; sacrum, dilecta q; iugera Musis,

Signat vicinâ quartus ab vrbe lapis.

Fertur primus huius inuenti auctor C. Gracchus, auctore Plutarcho. Vide Raderum nostrum loco dicto Martialis, qui ait, ab hisce inscripti-
nibus milliaria Græcis dicta esse ὥμεια.

Naves inscriptæ, & locus inscriptionis dictus πλυχὶς τῷ ὄρθρῳ apud Pollucem & Athenæum libro quinto.

Picturis olim, dum colores nondum habebant, nomina pictarum rerum adscripta, narrat Plinius lib. xxxv. cap. 111. Vocabantur autem hæ picturæ Sublestæ, hoc est lineatæ, à listâ, quod ξεμικὴ, & μονόχειμοι, inquit Scalig. in Copâ.

Tropæis inscripta cæforum nomina. Plutarchus De fortun. Roman. agens de Syllâ: Tacit. lib. 11.

O Diony-

210 DE PRIMA SCRIBENDI ORIG.
Dionysius & Plinius; Seruius item in illud Vir-
gili libro x i.

— *inimicāq; nomina figi.*

Vexillis inscripta Ducum nomina. Sueton. Ve-
spas. cap. vi. *Nomenq; eius vexillis omnibus sine morā*
inscripferunt. Vide Lips. De milit.

Denique ut faceta narratione finiam hoc ca-
put; Traianus Imperator, muris, & cippis, & adi-
ficiis ferè omnibus nomen suum inscribi iube-
bat; vnde insigni ioco appellatus est *Herba pa-*
rietaria. Dignus sanè, cuius nomen ob insignem
suam sauitiam in Christianos è cippis omnibus
expungeretur, aut luto tegeretur, quemadmo-
dum Domitiano factum esse ad Traianum ipsum
scripsit Plinius in Panegyri suâ, ritu in Tyran-
nos olim obseruato. De quo vide Ioan. Caſta-
lionem Variar. cap. xx.

C A P V T X X X I V.

De inuentione Typographie.

QVIA de scripturâ nata est Typographia,
ex re esse duxi de eâ hoc loco agere. Est
enim Typographia scriptura quædam inuersa,
quæ literas ordine contrario exprimit atque ipsæ
literæ compositæ sunt. Hanc non iniuriâ Car-
danus lib. xvii. De Artibus, vocavit Artem nul-
li nec vtilitate, nec dignitate, nec subtilitate se-
cundam. Sed iniuriarum agere possem cum Hen-
rico Salmuth, interprete Pancirolli, qui quodd
Germanos, gentem suam, maximi subtilissimi-
que inuenti laude ornare vellet, nimis indignè
tulit

tulit à nostro Ioan. Petro Maffeio eam lauream Sinensibus vindicari lib. vi. Histor. Indicarum; quando tamen cum Maffeio sentiunt (quos ipse met Salmuth testes laudat) Garzias ab Horto, Ioannes Gonzaluuus Mendoza, Iouius : addam ego, Petrus Gregorius Tolosas lib. xv. De Repub. cap. 111. & Nicolaus noster Trigaultius, qui recens è Sinâ in Europam rediit ; exque ipsis Sinensium Annalibus, quos ipse se excusisse diligenter affirmat, ita de typis scripsit lib. i. cap. iv. *Typographia apud Sinas antiquior est aliquanto quam apud Europeos : nam à quinque retrò saeculis certum est ab iis vsu receptam : neque desunt qui asserunt, prius eâ Sinas fuisse vsos, quam in hanc mortalitatem immortalis sese Deus abiecisset.* Quam verò diuersa sit, quantoque facilior illorum quam nostra imprimendি ratio, ibi qui volet, legat. Pro certo igitur & explorato hoc habendum est. An autem à Sinensibus ad Germanos hæc ars delata sit ; an fortè (quod fieri potuit) apud Germanos diuinâ quadam ingeniorum similitudine denuò inuenta sit, disputerent Germani & Sinenses, ne mihi nimiùm succenseat Salmuthius, qui pro se adfert Polydorum, Guilandinum, Cassianum, Ramum, & Beroaldum. Certè Iunius in Batauiâ suâ vindicat Harlemiensibus primam typorum inuentionem : ita omnes mirantur & exosculantur eam artem, ut singuli velint eam suam fuisse filiam.

Porrò quomodo hoc artificium exercendum sit, accuratissimè scripsit Christophorus Milæus libro 11. Histor. vniuers. rerum, quò reinitio Lectorem.

CAPVT XXXV.

De ornatu librorum.

LITERARVM typorumque nitor fecit libros maiori esse in pretio; paulatimque varius iis cultus adhibitus est.

Primum libri omnes compingebantur in volumen; hoc est, folia omnia uno ex latere intra bacillos duos complanatos consuebantur traecto filo, ac tum circum bacilos voluebantur instar fasciarum. Volumen enim à voluendo dictum, scribit Isidorus lib. vi. cap. xiiii. sicut pagina à literis quae in chartâ panguntur aut cerâ. id quod etiam Horatius insinuat epist. xx. lib. i.

— & scis

In breue te cogi. —

& Martialis lib. xi.

Vadas, sed redeas ineuolutus.

Imò volumina Græci cylindros eā re vocarunt, vt patet in Epicuro Laërtij.

Mox bacilli illi non è ligno, sed è cornu polito fieri cœpti, vnde cornua vocati à Martiali libro xi. Epigr. cviii.

Explicitum nobis usque ad sua cornua librum.

De iisdem lib. v. Epigram. vi.

Nigris pagina crevit umbilicis.

Communiter enim dicti umbilici, quod in medio essent ipsius voluminis circumuoluti, instar umbilici, qui medius est in corporibus; cuius etiam formam referebant, præcipue quando ad ornatum iis utrimque affigebantur bullæ quedam, seu poma cornea aut eburnea foris extra volu-

voluminis oras prominentia; vt Pierius obseruat libro xxxiv. & Porphyrio in Notis Horatij. Hinc Martialis lib. i. Epigr. LXVI.

Nec vmbilicis cultus, &c.

Lib. i i i. Epigram. i i.

Pictis luxurieris vmbilicis.

Lib. viii i. Epigram. LXX I.

Nec vmbilicis quod decorus & cedro.

quamquam vmbilicus subinde pro libri fine acceptus est Martiali & Horatio, vt Raderus notat.

Tum chartæ ad libros faciendos cœperunt magis quoque expoliri. A Fannio Romæ primū malleari charta cœpit, vt Plinius scribit lib. XIII. capite x i.

Deinde etiam pumicibus lœuigari, ne scabrities manum scribentis aut legentis oculum offendereret: vnde Martialis libro viii. Epigrammat. LXX II. ad librum suum:

— *asperoq;*

Morsu pumicis aridi politus.

quod ferè è Catullo descripsit lib. i. carm. i.

Arido modò pumice expolitum.

item Horatius:

Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.

& lib. i. Epigr. LXVI. Martialis.

Sed pumicata fronte si nondum est quisquam,

Nec vmbilicis cultus atque membrana.

vbi indicat non solùm chartam, sed & librorum inuolucra membranacea, quæ frontes sunt, pumicibus fuisse lœuigata. quod & Ouidius innuit:

Nec fragili gemine poliantur pumice frontes,

Hirsutus sparsis ut videare comis.

O 3

Nec

Nec titulus, minio nec cedro charta notetur,
Candida nec nigrâ cornua fronte gerat.

Et Catullus lib. i. ad Varum:

*Noui vmbilici, lora rubra, membrana
Directa plumbo, & pumice omnia aquata.*

Ergo membranæ fuere voluminum tectoria, &
quidem diuersicolores: rubra, vt iam ex Ca-
tullo; nigra, vt ex Ouidio; lutea, vt Tibullus;
Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum.

Purpurea, vt Statius lib. iv. Siluar.

*Noster purpureus nouisq; charta
Et binis decoratus vmbilicis
Liber, &c.*

Ouidius lib. i. Trist. Eleg. i.

Nec te purpureo velent vaccini succo.

D. Hieronymus in Prologo Iob: Habeant qui va-
lunt veteres libros membranis purpureis, auro argentoque
descriptos, vel vncialibus, vt aiunt, literis onera magis ex-
rata quam codices.

Postquam verò libri desiere esse volumina,
cœperunt frontes è tabellis, purpurâ, auro argen-
toque tectis, ac solidis componi. Causam dat
Martialis lib. xiv. Epigr. lxxxiv.

*Ne toga barbatos faciat vel penula libros,
Hac abies chartis tempora longa dabit.*

De colore verò lib. iii. Epigr. ii.

Et te purpura delicata velet.

Lib. viii. Epigr. lxxxi.

Nondum murice cultus. —

Lib. v. Epigr. vi.

*Quæ cedro decorata purpuraq;
Nigris pagina circuit vmbilicis, &c.*

Ultra

Vltrò purpureum petet libellum.

Tum folia etiam accisa, vt æquales essent chartarum oræ. quod primùm in Siciliâ factum Isidorus scribit libro vi. Etymolog.

Porrò quod de cedro ab Ouidio dicitur, ita se habet. Cedria, seu oleum è cedro arbore expressum, vt Cassius Hemina docet apud Plinium libro xiiii. cap. xiiii, chartis illitum, tineas ab iis arcet. vnde apud Horatium :

— *Speramus carmina fingi*

Posse linenda cedro.

Martialis lib. iii. Epigram. ii.

Cedro nunc licet ambules perunctus.

Ausonius ad libellum suum :

Huius in arbitrio est seu te iuuencere cedro,

Seu iubeat duris vermisibus esse cibum.

De literis autem aureis, argenteis, muriceis iam sèpiùs dictum est, quibus libri scribebantur. Illud pro clausulâ appono, quod libris extremis & summis appungi solitum scribit ex Ausonio Turnebus lib. xxii. cap. x. Veteres, inquit, vt in calce librorum coronidem appingebant; ita, suspicor, in fronte lunulam ad ornatum designabant. Huius suspicionis nobis causam Ausonius præber Epigr. xxvi. De Professor. Burdegalens.

Quos legis à primâ deductos menide libri,

Doctores patriæ scito fuisse meæ.

Menis autem lunula est, quæ corniculata sit; idcirco & cornua, ea ornamenta Latini vocauère. Hic libri mei erit coronis, ne quis mihi Callimachus dicat: *Magnum librum, magnum esse malum.*

S Y L L A B V S

C A P I T V M .

C A P V T . I.

Quid scribere? vnde dictum? variæ item eiusdem vocabuli significaciones, & voces nonnullæ contrarium significantes.

Pag. 29

SCRIBO, vel esse originarium verbum, vel ἀ χάρα, (χάρα autem non à Cymbrico Graff) vel ab Hebreo בְּנֵי. Quid fata scribere? dicam, libertatem, tutorem, heredem scribere? Scribere pro pingere, gestibus loqui, & arare. Ager scripturarius quid? Patres conscripti, vnde? Quid subscribere, prescribere, conscribere, Pingere, arare, effodere, sulcare, illudere, illinere, ducere, lineare, pro scribere. Contraria sunt; liturare, litura coercere, delere, stylum vertere, abolere rubricis, cancellare, inducere, expungere, dispungere, spongiā effingere, in spongiam incumbere. vbi illustratus vetus mos viendi spongiā.

C A P . II.

Quid literæ? & vnde dictæ?

36

Vocari Othioth Hebrais, id est, signa; Gracis σημεῖα, σηματα, τόμις, χαρακτῆρες, χαράγματα, id est, signa, & formas, & sculpturas: quia visus obiectum sunt. Latine vocatas literas, quasi lineaturas, à lineis: sicut Gracē χαράγματα, non à literis, non à Cymbrico let-ter-em, non ab iterato legentium itinere quasi legitera. Scribendum, litera, simplici t, non littera. Vnde literæ dictæ elementa?

C A P .



C A P . III.

Quæ literæ , à quibus , & quando scriptio
inuenta?

40

Ostensa origo erroris , in quem lapsi plurimi , de antiquitate literarum . Dissensiones auctorum pugnantium conciliatae . Literæ Hebraicæ ab Hebreis inuentæ , omnium primæ assertæ ; ante Moysen & Abrahamum inuentæ primum , & scriptæ ab Adamo , & ab Enos , aliisq; filiis Seth : ea opinio testibus & argumentis firmata . Quomodo ab Hebreis literæ ad alios , velut in colonias deductæ ; & à quibus ? De litigio literarum coram vocalibus apud Lucianum .

C A P . IV.

De numero literarum.

55

Hebraicæ primò tantum decem ; deinde excreuerunt ad viginti septem , cum duplicibus & finalibus ; alioqui omnes omnino sunt viginti due . Dictum de auctoriis aliquot Græcarum & Latinarum literarum : nam Græci primò vel sexdecim , vel octodecim ; Latini item primò tantum duodecim , deinde octodecim literas habuere . Quæ tres nouæ litteræ Claudijs ? Quomodo scribendum digamma Aeolicum ? Nubæ populi literas habent quadraginta septem , Sinenses octoginta millia .

C A P . V.

De ordine literarum.

62

De meliori ordine Hebræorum & Græcorum , quam Latinorum . Item de ordine qui pro naturâ rei videretur debere obseruari .

C A P . VI.

De figuris literarum.

64

Quomodo eæ apud Hebræos ex literâ Iod ; apud Latinos & Gracos ortæ ex lineis rectâ & curvâ , vnâ vel pluribus

O s variè

218 SYLLABVS CAPITVM.

varie iunctis. Item ex perpendicularibus, diametralibus,
vel inordinate curuis. Denique de simplicibus literis &
compositis; subiectâ omnium formarum Alphabetica tabellâ.

CAP. VII.

De nominibus literarum, & eorum significatione & caussis. 65

Hic dictum ex occasione de episemo seu notâ numeraria triplici Græcorum, Σ. G. D. De Sigmate, seu Stibadio vetere.

CAP. VIII.

De quadruplici scribendi modo: Hebræo
vetere, Hebræo nouo, seu Græco & La-
tino vetere; Communi nostro, Syriaco,
Indico, Sinico, Æthiopico. 76

Hic ostensum quomodo excogitari possent modi scriben-
di per lineas rectas, omnino viginti quatuor: octo in latum,
octo in longum per lineas perpendiculares, octo in longum
per diametrales. Hebraeorum vetus modus et si antiquissi-
mus, non tamen optimus. Omnium commodissimus modus,
est communis noster. Scribere per versus, modus recentior
Hebraeorum, Græcorum & Latinorum vetustissimus. Quid
Cyprianus? quid versus? quid Tæpocrus? Tabula cum vi-
ginti quatuor scribendi modis.

CAP. IX.

Quibus instrumentis scriptum. 84

De stylo ferreo, qui antiquissimus; de osseo, qui inuentus
ad cælandam ceram. De saxeo stylo Arithmeticorum. De
celte ex cap. x. i. x. Iobi. De adamantino stylo vitrario-
rum. De digito & yngue stylis loco usurpato. Cala-
mus non inuentus ad scribendum, ante usum membrana
aut

aut chartæ. Penna avium recentior. Penicillus pictorum & Sinensum est calamus. Styli simul & atramenti vicem obeunt, carbo, creta, rubrica, plumbum.

C A P. X.

In quâ materiâ antiquissimè scriptum. 89

De latere ac lapide quæ prima materia. De foliis arborum; palmæ, maluæ, oleæ. Scriptum in pomo, in fungo, in corio, in frondibus florum, in libris seu tunicis corticeis arborum, in corticibus viuis. In ligneis tabellis quæ dictæ codices & codicilli à caudice, quando. In linteis voluminibus; in plumbeis, non voluminibus, sed tabellis. Quid scheda? Vnde dicti pugillares? qui pugillares cerei, citrei, eburnei, membranei? duplices seu δύπλιχα? triplices seu τρίπλιχα? quincuplices πεντάπλιχα? Quando scriptum in ære, argento? Quando inuentæ membranæ? vnde sic dictæ? vnde appellatæ pergamenum? De multicoloribus membranis; de intestinis in quibus scriptum. Scriptum in puluere, in terrâ, in aquâ, in vino, in humana cute, & corde; in omni denique materiâ.

C A P. XI.

De primo vsu chartæ, eiusque variis generibus & appellatione. 98

Charta & chartus: dicta non à Chartâ vrbe Tyri; non quod carptim papyro decerpatur; sed à χαιρε, quod epistolæ prescribi solutum, vnde Salutatrix charta, Martiali. Quæ chartæ nouæ & deletitiae Vlpiano? quid palimpsestus? Chartæ vsus diu ante Alexandri tempora. Chartarum varia nomina ex quinque capitibus orta: locis, auctoribus, materia, formâ & officio. Elegantes denique aliquot metaphoræ in rem scriptoriam comportatae a variis auctoribus.

C A P.

CAP. XII.

Ex quâ materiâ scriptæ literæ. 101

De atramento, milto, minio, synopide, cinnabari, encausto. Cur capita Legum rubricis miniata? Sanguine scriptum à quibus? Literæ factæ è buxo & ebore; literæ ferreae, argenteæ, aureæ, ex auro solidò & liquido. Bysfinæ in vestibus. Literæ vino, aquâ, lacrymis scriptæ.

CAP. XIII.

De epistolis & earum variis generibus. 106

De vocis etymo. Vnde Latinis epistola dicta missa & missua. Quid Apostolicæ literæ? quid Clericæ, Canonica, Circulares, Captiuorum, Confessoria, Commendatoria, Formatæ? Vnde dictæ Formatæ & Formales? Exemplum epistolæ Formatæ, συνθήματα. Decretales epistolæ, Dismissoria, Apostoli, Laureata, Memoriales, Metatoria, Adventoria, Aspasticon, Pastorales, Synodica, Systatica, Pragmaticæ, Tractatoria, Tractoriae. Epistole ad mortuos scriptæ, à mortuis scriptæ, ad diabolum scriptæ, ad montem Atho scriptæ. Literæ Vrie. Initium literarum; Gaudere, Benè agere, Χαιρεῖν. Salutem P. D. Suo vel Suis. Clausula Græcorum, Pax; Latinorum, Vale. De addendo scriptoris die & horâ. Quid Cicero pro barbarorum Dato?

CAP. XIV.

Oeconomia cursus publici, seu ratio mittendarum epistolarum. 113

Nuntiorum alij pedites, alij equites, alij curules & navales. Veredi & veredarij vnde dicti. Qui dromanarij, cursuales, & palladij equi? Quid cursus publicus? fiscalis, clabularis, & caballatio? Angari & Parangaria. Cursus

sus publicus quando plebi communicatus. Qui cursores Ecclesiastici. Quid facultas tractoria? Qui Parochi? Quid Curiosus? Quid Saiones? Quid Hippocomi? quis auctor primus cursus publici? A quibus instauratus? Qui Astlandæ apud Persas? Vnde Γερμανοτοποι? Qui Gerones? Vnde Bruttiani? Clastarij qui? Qui, & vnde dicti Postæ? Quis olim habitus Cursorum? Vnde illis pinnæ in capite? Cur Ælius Verus Cursores appellavit nominibus ventorum? Cur dicti à Cicerone Pegasi?

C A P. X V.

De occultâ literarum missione. 122

De occultâ materia, Tabellariis, Viâ. Historia & modi vniuersim triginta duo.

C A P. X VI.

De inuisibili literarum scriptione. 130

De vario humore, quo scriptæ literæ non nisi certo artificio legi possunt.

C A P. X VII.

De occultandâ scriptione per transpositionem literarum. 131

De Iulij & Octavianii inuenito. Suetonius auctoritate Varronis correctus. Quid scribere per Tractationem apud Varromem.

C A P. X VIII.

De occultâ scriptione per Notas. 134

Quid Note? Note literæ, & Note non literæ. Note non literæ vocantur σημεῖα, signa, imagines, Zifrae, ignorabiles literæ, quasi literæ, compendia literarum, στύλαι, vel sigla. Siglum descendere à sigillo. Note literæ vocantur singulæ & singulariæ. Ammianus notatus quod Ægyptios characteres vocet singulas, cum sint sigla. Plurime

222 SYLLABVS CAPITVM.

rimæ per notas scribendi artes, eæq; olim vulgares. Can-sæ ob quas inuentæ Notæ, quatuor: secretum, distinctio, breuitas, celeritas scriptioñis; hæc postrema quanta, quam velox. Notas inuentas esse, non à Mecanate, Aquilâliberto, Cicerone, Tirone liberto, Ennio, Phylargyro, aut Persannio, sed ab Hebreis circa tēpora Danielis Prophete,

C A P. XIX.

Quæ alia Notarum genera? ac primò, de seruilibus.

143

De Notis, insignibus nobilitatis apud varias gentes; cur stigmata dicta notæ Threicæ, puncta, signa fœcorum aut sugarum? Serui strigatæ, strigores, varij attagenes, Istriani, notis compuncti, inscripti, calati, literati, encausti. Seruiles notæ, partem literæ singulæ, partem sigla. Crimen, reis nonnumquam inscriptum, per manus & totum vultum: sepiùs tamen non perscriptum, sed singulis tantum, aut binis literis expressum. Ita K inustum Kalumniatoribus, D delatoribus, & T furibus, M homicidis apud Anglos, ritu à Syris mutuato. Vultum inscribi ventit Constantinus; denuò iussit Theophilus Iconoclasta. Militibus & sacrificiis inustæ etiam notæ & puncta. Stylus vstorius, καυτὴς καυτήσεος. In sulcos causticos atramentum infusum. Per transennam dictum de Callistice seu picturâ vstoriâ cerarum apud veteres.

C A P. XX.

De notis pecudum.

148

Quid signare? Signum ingenuum apud Ausonium. Εχι σημφόει, non à literâ Σ inusta, sed ab episemo Δ Σάν Πī. Κοκπατια, ab inusto Kophe seu Koppa, non à Κάππα. Ferrum vstorum ρευσίππων vel ἵππους, vel ζεραντήρ. Quid αεράγησες.

C A P.

De notis Iureconsultorum.

150

De his Magno librum conscripsit. Iustinianus & Basilius Imperatores earum vnu omnibus interdixere: bonum factum, ad vitandas fraudes. Et cetera Notariorum, Prouerbio celebratum. Ostensum quanta subinde ab his notis damna accepta; quam varie earum interpretatio diuinata. Vnde ff & D, pro notis Digestorum, seu Pandectarum.

CAP. XXII.

De notis Iudiciariis.

154

Sententiae à Iudicibus per notas scriptae. A. Absoluo. C. Condemno. N.L. Non liquet. Alia tabella ab Augusto data ad ignoscendum. θ & ς, nota item condemnationis. Tau, nota superstitionis in Militia, litera sospitatis, à Tribunis adscripta Senatusconsultis. Longa & brevis linea; hec absolutionis, illa condemnationis nota, apud Suidam. Litera longa Plauto, quæ Iudicum calculi, nigris & albis notis insigniti.

CAP. XXIII.

De notis Censoriis.

157

De Tabulis Cæritum. Quid suonatur Athenæo.

CAP. XXIV.

De notis Suffragatoriis.

158

Quando eæ ortæ? Quales? Qualis suffragandiratio? Duplices tabellæ. A. Antiquo. V.R. Vti rogas. Suffragia punctis adnotata ad meundum numerum.

CAP. XXV.

De notis Tesserariis.

159

Tessera unde dicta? cuius materiae, cuius forma? quo diversa à talis? Tessera rotunda. Quid militares?

224 SYLLABVS CAPITVM.

res? Quæ militarium tesserarum signa & nota? Quid
frumentaria? Quomodo differant à stellaturæ? Quid
numaria? vestiaria, lusoria? viales, & hospitales?

CAP. XXVI.

De notis Sortiariis.

162

Triplicis sunt generis. Sortes è ligno; vnde à rælor,
xλῆρο-, fors. Quid pædouærtia? De pullis literas
depäsentibus diuinationi adhibitis. Sortitio Iudicium &
Athletarum per literas apud quos?

CAP. XVII.

De notis Grammaticis.

165

Hæ dicta dicitur nō solum in: Latinis Accen-
tus & Posituræ. Comma, hypocolon, colon, punctum.
Quid Sicilicus? Quando inuenta distinctionum nota?
Quām diuersæ veteres à nouis? Parenthesis, hyphen,
apostrophos, diastasis, diæresis. Quando apud Græcos
& Latinos cœperint accentus? Quid Masoreth, &
quām recentia apud Hebreos? Vnde & quomodo nota
accentuum formæ? Quales & quæ spirituum nota? Quæ
nota metricæ? Quæ Platonicæ? De obelo qui nota est
culpæ. De nota laudis ex Varrone.

CAP. XXVIII.

De notis Arithmeticis.

171

Literæ olim usurpatæ pro numeris. Dictum de ver-
bus iroñois, & nominibus Gamatricis Rabbinorum.
Cur Ivnitatem, V quinarium, X denarium, L quinqua-
genarium, C centenarium, D quingentenarium, M mille-
narium, significant? Dictum de Clavo annali. Theut
inuentor prisorum numerorum; Arabes zifrarum recen-
tiorum. Vnde zifra dicta? Quæ ciuitas literarum?

CAP.



CAPVT XXIX.

An literis, notis, numeris arcana

aliqua insit vis?

176

Inest vis duplex; altera significandi, altera obligandi; nullatenus Physica, ut probatum ratione & auctoritate. Quid O'ropevra? Στοιχειομέτρια, & Αειδμάτια? Quid Kabbala? Qualis Marci & Colarbasī hæresis de vi literarum? Quis error Origenis, & quorumdam Hebreorum? De Ephesiis literis ex Suidā. Notæ amatoria nullam habent vim, nisi ex pacto dæmonis. Antichristi nomen qui & quale diuinariunt, ex numeris DCLXVI.

CAP. XXX.

De vi obligandi quam habent

literæ.

181

Vis moralis est, subinde maior quam testium; ex Iure ostensum. Vnde id factum? Quanta in scribendo chirographo adhibenda cautio, monstratum documento Pulcherie Augustæ in Theodos. fratrem. Quæ pœna falsiorum? Cur à Iustiniano vix permitta comparatio literarum? Qui olim falsa Apostolorum acta scripserint? Quomodo punitus Valens dum Basilio vellet scribere sententiam exili? Quod Neronis votum, quando abs se quidam capite damnandus?

CAP. XXXI.

Varia scripturarum nomina.

185

Acta seu Gesta. Sacra acta primum Clementis, deinde Fabiani iussu scripti. Acta Natalitorum quæ? Repagularia, Diurna acta. Accepti & Expensi tabulæ. Aduersaria qualia, & vnde dicta? cur Transuersa appellata? Quid ὀπόλησα? Quid Minuta & πρωτοκλα? Annotatio. Quid album? quam multiplex? Quid ubrum & nigrum Iureconsultis? Quid Pittacium?

P

Anna-

226 SYLLABVS CAPITVM.

*Annales quo differant ab Historiâ? Antigraphe, Apocha,
Antapocha, Arrestum, Authenticum, Autographum, Au-
ctionariae tabula, Brevia, Breuiarium, Breuiculus, Bulla,
Plumbatores, Chirographum, Cautio, Commemoratorium,
Commentarius, Monitores, Monitoria, Condicta, Diarium,
Digestum, Diplomata, Edictum, Elogium, Ephemeris,
Eulogia, Fasti sacri & profani, Embreuiatura, Indi-
tamenta, Instrumentum, Inuentarium, Repertorium, Ka-
lendarium, Libellus, Laterculum, Mandata libera, Matri-
ces, Notitia, Notorium, Pandectæ, Poliptici, Programma,
Rationarium, Rescriptum, Sacra literæ, Literæ credentia,
Schedæ, Signatura, Summarium, Syngrapha, Tituli,
Translaticia edicta.*

CAP. XXXII.

De scribis & variis eorum generibus. 199

*Librarij qui? Scribæ appellati à Magistratibus, Preto-
rij, Aedilityj, &c. ab officio. Nauales, Epistolares, Libellen-
ses, &c. Actuarij, Abbreviatores, Rescribendarij, Sum-
miste, Notarij, Antiquarij, Singularij, καλλιγράφοι, ση-
μειογράφοι, ταχυγράφοι. Qui Protonotarij? quæ eorum
origo? Quām varia Notariorum ciuilium genera? Logo-
graphi, Mediogrammatæ, Symbolographi, Subadiuus,
Boëthi, Formularij, Pararij, Chartulani, Chartularij,
Exceptores, Prochiri, Hypomnematographi, Regerenda-
rij, Scripturarij, Scriptores. Quales literæ Notariorum.
Quām ab aliis diuersæ? Quæ literæ maiusculæ, qua-
drata, vnciales? Quid apices?*

CAP. XXXIII.

De rarioribus quibusdam inscri-
ptionibus. 204

*Ostius inscriptum, Caeue canem; &, Arse verse. Lalli-
des*

des ianuis amicarum inscriptæ, & earum nomina viuis arborum corticibus, floribus item & pomis, & arulis tumulorum. Sigma inscriptum foribus tricliniorum, ad quid? Ciborum nomina, Modimperatori à coquo in tabellâ tradita, cibi literarum ordine in fercula dispositi. Pocula inscripta, vnde γεμματικæ & literata dicta. Inscripti cultri, scyphi, lances, cochlearia & lagene appensis pittaciis. Merces inscriptæ, & earum pretium in tabulâ expressum. Lupanaria inscripta nominibus prostibulorum, & pretio stupri. Serui appensa pretij & morbi tabellâ venditi. Tragediarum nomina & auctoris proposita in titulo, dum agebatur. Curiarum nomina in foro scripta. Tabellæ reis appensa cum inscriptione criminum. Res amissæ, fixis programmatis quæsitæ. Lapidès milliarium & itinerum signatores ab inscriptione σημεῖα dicti. Nauibus appicta nomina, & veteribus picturis. Tropæis occisorum nomina inscripta, vexillis, Ducum. Traianus cur dictus herba parietaria? Quo ritu expuncti tituli tyrannorum.

CAP. XXXIV.

De inuentione Typographiæ. 210

Sinensibus ea assignata. Diuersa & facilior illorum quam nostra.

CAP. XXXV.

De ornatu librorum. 212

Quid volumen, & vnde dictum? Quid cylindri? Vnde pagina? Libri omnes olim volumina. Quid cornua in volumine? Quid vmbilici? A quo primùm malleata charta? Libri ubi primùm circumcisi. Quid frontes librorum? Charta & frontes pumice lœvigata. Librorum inuolucra è membranâ diuersicolore; mox è tabellis purpurâ vestitis; ne libri barbati, hoc est villosi, fierent. Chartæ contrarieas cedrino oleo delibatae. Quid menis & coronis in librīs, ex Ausonio.

APPROBATIO SUPERIORVM.

CAROLVS SCRIBANI Præpositus Pro-
cuinalis Societatis IESV per Flandro-Bel-
giam. Cùm opus De primâ scribendi origine,
eiusque vniuersâ antiquitate à P. Hermanno
Hugone Societatis IESV Sacerdote conscriptum,
designati eiusdem Societatis Patres legerint, pro-
barintque; potestate ab admodum R^{do} Patre no-
stro Generali MVTIO VITELLESCO ad hoc mihi
factâ, vt typis excudatur, permitto. In quorum
fidem has literas manu meâ subscriptas, officij
mei sigillo muniui. Antuerpiæ, xxvii. Iulij, anno
Dominii M. DC. XVI.

Carolus Scribani,

APPROBATIO CENSORIS.

LIBRI hi De origine scribendi & totâ lite-
rariæ rei antiquitate, R. P. Hermanni Hu-
gonis è Societate IESV industriâ & accuratâ dis-
quisitione compositi, digni sunt qui in literato-
rum omnium manibus versentur. Datum Antuer-
piæ, xxvii. Iulij, anno Domini M. DC. XVI.

*Egbertus Spitholdius Plebanus
Antuerpiensis.*

SUMMA PRIVILEGI.

ALBERTI & ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ, Archiducum Austriae, Ducum Burgundiæ, Brabantiae, &c. Serenissimorum Belgicæ Principum Priuilegio cautum est: ne quis Librum, cui titulus est, *De primâ scribendi origine, & uniuersâ rei literariæ antiquitate, ad Reuerendum Patrem CAROLVM SCRIBANI Societatis IESV Præpositum Prouincialem in Provincia Flandro-Belgica, scribebat Hermannus Hugo eiusdem Societatis IESV*; præter Baltazaris & Ioannis Moretorum fratrum voluntatem intra sexennium excudat, aut alibi excusum in Inferioris Germaniae ditiones venalem importet. Qui secùs faxit, confiscazione librorum, & aliâ graui pœnâ multabitur, vti latius patet in literis datis Bruxellæ, xvi. Augusti, M. D C. X V I.

Signat.

I. Cools.





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
6102

Huc de
S. I. studi
uia. 1600.
Polygraphia
Ciceronianæ